


CHRIS… Autor,

…rum,

Dum … eius esto

… liber!



Notandum ex hoc libro
de Melanchtone pag -- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod jis etiam
in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio XIV.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

DE COENA DOMINI.

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTÆ, SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

MICHAELE EIFLERO Cint. Borusso.

Publicè in Auditorio majori, Ianuar: habenda.



REGIOMONTI,

Typis Laurentii Segebadii, Anno 1625.

Generoso, maximeq́; Strenuo
VIRO,
Dn. AHASVERO Brandt
Consiliario Provinciali Ducatus Prussiaci, & Capitaneo Tapiauensi laudatissimo; Hæreditario in Rogitten / &c. Domino suo gratioso.
UT ET
Viris Amplißimis, Prudentiß. Spectatißimis,
Dn. JOHANNI GORIO
Dn. ALBERTO JONÆ
Illi Consuli; Huic judici, Reipubl. Palæopolitanæ graviss. dignissimis.
NEC NON
Reverendis, Excellentißimo, Doctißimisq; Viris
Dn. M. PHILIPPO ARNOLDI
Archipresbyt. Tilsensi, cognato meritiss.
Dn. JACOBO RUDIGERO
Dn. JOHANNI RESE
Dn. JOHANNI LUCÆ
Illi Cœnobii ad D. Mariam & Nosocomii L. majoris; Isti Ecclesiæ in Regio-Boruss. monte Lithvanicæ; Huic apud Dexenses; Verbi Ministris vigilantissimis
Magnis suis Mecœnatibus, & Patronis observandißimis, Exercitium hoc Academicum
D. D. D.

MICHAEL EIFLERUS.



Disputatio XIV.

De Coena Domini.

Respondente

MICHAELE EIFLERO.



Xpedito priori Novi Testamenti Sacramento, nim. SS. Baptismate; alterius tractationem assertoriam & vindicatoriam simul subjunctam voluêre Auctores Libelli nostri, quod est *de Cœna Domini*. Proinde nos etiam ipsorum vestigiis insistentes, doctrinam hujus articuli augustam, & ob hodierna certamina in Ecclesia agitari solita, summè necessariam & utilem, paucis more consuetô repetere conabimur.

I. Sedes Articuli; De Cœna Domini.

Repetitus & desumptus est hic articulus, 1. ex *August. Confess.* Art. x. qui sic habet; De

Cœna Domini docent, quod Corpus & Sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus in Cœnâ Domini, & improbant secus docentes.

Deinde ex Apolog. August. Confess. cujus verba in defensione *artic.* 10. ita habent; *Decimus articulus approbatus est, in quo confitemur, nos sentire, quod in Cœna Domini verè & substantialiter adsint corpus & Sanguis Christi, & verè exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his qui Sacramentum accipiunt. Hanc sententiam constanter defendimus, re diligenter inquisitâ & agitatâ.* Cum n. *Paulus dicat: Panem esse participationem Corporis Domini, &c.* sequeretur, *panem non esse participationem Corporis, sed tantùm Spiritus Christi, si non adesset verè corpus Domini.* Quæ sententia fusius ibidem deducitur & confirmatur.

Tertiò ex Articulis Abusuum, in specie contra Pontificios directis; præcipuè ex *primo*, de utrâq; specie: *deinde, ex Tertio, de Missa.* Ubi Orthodoxa sententia in Apologia de discrimine Sacrificii & Sacramenti: & utriusq; usu, prolixè deducitur & vindicatur.

Deniq; ex Artic. Schmalcald. part. 3. art. 6. qui sic proponitur; *De Sacramento Altaris sentimus, Panem & Vinum in Cæna, esse verum Corpus & Sanguinem Christi, & non tantum dari & sumi à piis, sed etiam ab impiis Christianis. Et non tantùm unam speciem esse dandam: Non n. indigemus doxosophiâ istâ, quæ nos doceat sub una specie tan-*

tum

tum esse, quantum sub utraq;, sicut Sophistæ & Concilium Constantiense docent. Etsi n. verum esse fortè possit, quod sub una tantum sit, quantum sub utrâq; , tamen una species non est tota ordinatio & institutio per Christum facta, tradita & mandata. *Inprimis vero damnamus & execramur in nomine* Domini *omnes eos, qui non tantum utramq; speciem omittunt, verùm etiam tyrannicè eam probibent, damnant & blasphemant, ut hæresin & ita seipsos supra & contra Christum* Dominum *& Deum nostrum extollunt, opponentes & præponentes se Christo.*

De *Transsubstantiatione subtilitatem sophisticam nihil curamus, qua fingunt, panem & vinum relinquere & amittere naturalem suam substantiam & tantùm speciem & colorem panis, & non verum panem remanere.* Optimè *n. cum sacra scriptura congruit, quod panis adsit & maneat, sicut Paulus ipse nominat : Panis, quem frangimus. Et : ita edat de Pane.*

II. Summa Huius Articuli, uti is in Libello nostro proponitur & pertractatur.

Initio loco Theseos præmittitur egregium præsentis articuli encomium, argumentis ab affectionibus ejusdem desumptis ; utpote : 1. *quod Cœna Domini sit certißimus amoris Christi erga Ecclesiam flangrantißimi* Index 2. quod *sit*

Testamentum, in quo Christi thesauros spiritualium & cœlestium bonorum suorum Ecclesiæ deposuit, legaritq; in sui memoriam 3. quod *ob participationem Eucharistiæ nobis arctißima Vnio intercedat cum Christo, & SS. Trinitate.*

Deinde producitur *Antithesis* adversæ partis; quæ etiam haut obscurè, ansam articulum huncce repurgandi & repetendi præbuisse, innuitur. *Primi* omnium in theatrum producuntur *Romanenses*, cum suâ Missâ, ceu commentitio Sacrificio, pro vivis & defunctis instituto 2. cum suo *Sacrilegio & rapina*, denegata altera specie majori Ecclesiæ parti, sc. Calice benedicto 3. cum sua *pompa Persica*, institutâ circumgestatione panis in ædicula inclusi, ad abusus Magicos, v. g. ad restinguenda incendia; ad averruncandam Calamitatem à frugibus terræ 4. cum suis *insidiis*, ficta quadam liberalitate sibi arrogatâ, de indulgendâ Laicis alterâ Eucharistiæ specie: quô pactô plurimorum onerantur conscientiæ.

Secundò perstringitur *Zwinglius*, Corpus & Sanguinem Christi ex Sacramento Cœnæ tollens.

Tertiò protrahitur in lucem *Calvinus* cum suis satellitibus; Cœnam solis Elementis absolvi: corpus verò & Sanguinem, non substantiâ, sed *virtute* tantùm & *efficacia* ibidem præstò esse: statuens; substituendo loco Sacramentalis & oralis participationis, Spiritualem

lem corporis & Sanguinis Christi. *Postmodum* instructio suppeditatur; quonam artificiô convincendi sint *Calviniani* in negotio de præsentia corporis & Sanguinis Christi reali & substantiali in Cœna: 1. figendum esse nim. pedem in verbis cœnæ expressis, nec transeundum ad quæstionem de *Vbiquitate*, ex consilio *B. Lutheri*, Tom. 3. Jen. f. 495. & Tom. 8. f. 375. 2. Omninò præsupponendum; controversiam de præsentia corporis & Sanguinis Christi in Cœna, *esse de Fidei fundamento*: nequaquam verò ita æstimandam, quasi citra discrimen salutis indifferens sit & arbitraria, idq; ob verba Testamenti: qualia oportet esse *simplicia; immutabilia, propria, necessaria; & perspicua* (si ratio non consulatur) adeoq; ad hujus controversiæ decisionem fundamenti loco adhibenda.

Thesis insuper affertur ex verbis Institutionis de manducatione Orali corporis, & bibitione Orali sanguinis Christi; in ea essentiâ, quâ pro nobis in cruce traditum est corpus: & quà pro nobis effusus est Sanguis in remissionem peccatorum. Quæ sententia probatur ex verborum Institutionis singulis particulis.

Tandem diluuntur *objectiones* Calvinianorum: 1. ducitur à *sensu* verborum tropico, figurato & modificato. *Respondetur a. quintupliciter* ab autorib. nostris; 1. de articulis fidei non esse judicandum ex propria solutione.

2. Pet. 1. vers. 20. sed ex collationib. locorum Scripturæ 2. ex *consensu* Evangelistarum 3. ex *repetitione* Apostolicâ, 1. Cor. 11. vers. 23. post Assensionem Christi 4. ex *natura* verborum Testamenti 5. ex Christi *declaratione* de ipsa corporis & sanguinis substantiâ; non v. de virtute & efficacia corporis & Sanguinis. Ubi simul additur declaratio Modi; 1. *Præsentiæ* rei cœlestis in cœna; non per *transmutationem* aut *transsubstantiationem*: nec 2. per *localitatem*: nec 3. per præsentiam *physicam*; sed *singularem*, *Sacramentalem*, *mysticam*, veram tamen ac realem. II. *Manducationis* oralis; quod non sit *Capernaitica*: sed 1. supernaturalis; 2. vera tamen; 3. communis dignis & indignis. Sub finem commendatur τὸ ῥητὸν Verborum Cœnæ; 1. propter consolationis efficaciam 2. propter πληροφορίαν fidei.

II. Desumitur *à conditione humanæ* Christi naturæ; & veritate ejus corporis, & sanguinis humani; quâ stante, verba Cœnæ in propria significatione intelligi non posse. *Respondetur* ex Artic. de Persona Christi, ac innuitur: Verba Testamenti nullatenus pugnare cum veritate humanæ naturæ in Christo.

III. Formatur ab articulo *Ascensionis*. R. Articulum ascensionis non esse oppositum articulo Cœnæ Domini, si uterq; dextrè ex Verbo Dei explicetur, ut & ex Symbolo Apostolico: ubi articulus, non tantum ascensio-

nis

nis; sed etiam sessionis ad dextram Dei proponitur, non contrariorum, sed subordinatorum in morem, & præcipuè declaratur Marc. 16. vers. 19. Luc. 22. vers. 69. Heb. 1. vers. 3. 1. Pet. 3. vers. 22. Eph. 1. vers. 20. c. 4. vers. 8. 10. Act. 2. vers. 33.

III. EXPLANATIO THESEOS vel sententiæ Orthodoxæ.

Agendum a. nobis erit de Sacramenti Cœnæ, 1. Appellationibus; 2. Definitione; 3. Caussis; 4. Axiomatibus, 5. Affectionibus; 5. Adjunctis & circumstantiis.

De Primo.

§. 1. Appellationes hujus Sacramenti variæ occurrunt, tum apud *Græcos*; tum *Latinos* 2. *Græcæ* appellationes desumptæ sunt *partim* ex expresso scripturæ usu: *partim* ex ascititio 3. *Scripturæ* appellationes sunt, 1. *Mensa Domini*; 1. Cor. 10. 21. 2. *Cœna Domini*; 1. Cor. 11. v. 20. ex Matth. 26. v. 20. 3. *κοινωνία*, sive *Communio*; 1. Cor. 10. v. 16. (1.) ob participationem corporis & sanguinis Christi: (2.) ob unionem nostri cum Christo: (3.) ob mutuam nostri ad invicem conjunctionem. *Damasc. l. 4. Orth. Fid. c.* 14. 4. *εὐχαριστία*, apud *Irenæum*, ex Matth. 26. v. 27. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. ob gratiarum actionem pro redemptio-

nis beneficio 5. συναξις, apud *Iustinum*, & *Dionys. Areopag. Eccl. Hierarch. c.* 3. (1.) ob celebrationem à Christianis in unum convenientibus, 1. Cor. 10. v. 20. c. 11. v. 20. (2.) ob nervum publicorum congressuum; (3.) ob symbolum mutuæ Christianorum conjunctionis 6. *Sanguis*, per Synecdochen, ex 1. Joh. 5. v. 8.

4. *Ecclesiæ* appellationes *Græcæ* sunt sequentes ferè; 1. ἀγάπαι, apud *Tertull. Apolog. c.* 39. Dilectiones, h. e. sacrum convivium testificandæ mutuæ charitatis gratiâ institutum 2. προσφορὰ, *oblatio*; non quod Cœna Deo offerebatur: sed (1.) communicantibus, interprete *Iustino*, *Apol.* 2. *pro Christian.* (2.) in usum egenorum Ecclesiæ ministrorum Collectæ, s. donationes fiebant: παρὰ τὸ προσφέρειν προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτον καὶ ποτήριον. h. e. ab offerendo presbytero, vel præposito fratrum, panem & poculum 3. λειτουργία, (παρὰ τὸ λειτουργεῖν) *publica* cœnæ Dominicæ *administratio*.

5. *Latinæ* appellationes itidem occurrunt multivariæ; 1. Sacramentum *Altaris*; non quod in altari Deo offeratur in sacrificium: sed quod ad altare distribuatur utentibus, apud *August. tr.* 26. *in Ioh.* & *l.* 3. *de Trinit. c.* 10. Hanc etiam appellationem B. *Lutherus* retinuit in *Artic. Smalcaldicis* 2. *Sacrificium*; non quod propriè sic dictum, Deoq; offerendum: sed

ſed quia eſt commemoratio ſacrificii illius unici, à Chriſto ſemel Deo oblati; interprete *August. l. 10. de Civ. D. c. 20.* Hoc ſenſu vocatur *Hoſtia, Oblatio, Holocauſtum, Paſcha*; *partim* ob munerum oblationem à piis Chriſtianis inſtitutam declarandæ gratitudinis gratiâ erga Deum, & dilectionis erga proximum: *partim* ob precum in hoc ritu ad Deum fuſionem, nec non ſacrificii unici in ara crucis ſemel immolati gratam commemorationem, apud *Iuſtin. Martyr. Apolog. pro Chriſtian. & Auguſt. Epiſt. 118. ad Ianuar. c. 2. 3. Solemnia Dominica*; apud *Tertull. lib. de fug. in perſecut.* 4. *Miſſa*; non ſenſu Papiſtico, ſed Patrum, *vel* pro *congreſſu* & ritibus ſolemnibus in Eccleſia, interprete *Tertull. loc. citato*: *vel pro miſſione* aut dimisſione Catechumenorum aliorumq; ante celebrationem Euchariſtiæ, ex templis: finitis namq; precibus, cantionibus, concionibus & id genus aliis Sacris, Diaconus elatâ voce clamabat: *Catechumeni exeunto*; vel ſi *quis Catechumenus remanſit, exeat*: item; *Ite, abite; Miſſa eſt.* Miſſa igitur idem eſt hoc ſenſu ac ἄφεσις τῦ λαῦ; vel λαῖς ἄφεσις, Dimiſſio, vel Remiſſio populi, idq; ex uſu Patrum, quibus Miſſa idem eſt ac miſſio, uti legere eſt apud *Tertull. l. 4. cont. Marcion. Cyprian. Epiſt. 14. l. 3. & de bona patient. vel pro donis* à piis Chriſtianis in celebratione Cœnæ Sacræ, à quibus Sacra Cœna vocari cœpit; *Miſſa*, in plur. numero;

mero; ficut ab JCTIS vocantur *præbenda*, quæ olim militibus præbebantur. Appellationem hanc retinuit *Apolog. Augustanæ Confeß.* circa *tertium artic. Abusuum de Missa*, sensu in Ecclesiâ antiqua olim frequentato 5. Sacramentum corporis Christi; per Synecdochen 6. occurrit insuper appellatio cœnæ terminô *fractionis* panis; sensu tamen vulgari & homiletico, ex *Act.* 2. *v.* 42. *c.* 20. *v.* 7. non autem apodictico & accurato, ob similia loca, *Act.* 27. *v.* 35. *Es.* 58. *v.* 7. ex quibus sacra cœna stabiliri nequit, ut & ex *Luc.* 24. *v.* 35. utut minimè dissimulemus: *Syrum Metaphrasten* priora illa loca in Actis de Cœna Domini interpretatum esse, reddendo fractionem panis per *Eucharistiam*, quæ Syris, ut & Græcis idem est, ac Cœna Domini: nequaquam tamen sensu Calviniano; sed Apostolico: *fractione* panis, per *distributionem* explicatâ ac intellectâ.

6. Atq; hæ quidem appellationes sunt præcipuæ: in nostro libello retinetur appellatio Scripturæ; videl. *Cœna Domini*, de cujus definitione jam restat agendum.

De Secundo.

§. 1. Est autem Cœna Domini, Sacramentum Novi Testam. in quo omnes Christiani eo utentes cum pane benedicto accipiunt, & ore corporis manducant Corpus

Corpus Domini; & cum vino benedicto accipiunt, & ore corporis bibunt Sanguinem Domini, ad fidei confirmationem.

2. In definitione *generis proximi* loco ponitur Sacramentum Novi Testam. ubi simul involvitur *causa Efficiens*, ipse θεάνθρωπος, unà cum *Ministeriali*; utut non exprimatur, ob rationem in disputatione præcedenti allatam: reliquæ, utpote *Materialis*, *Formalis & Finalis* in definitione expressæ, membro sequenti dilucidabuntur.

De Tertio.

1. Quænam sit *Efficiens Principalis* hujus Sacramenti, in superioribus, ut & paulò antè monuimus: ipse nim. θεάνθρωπος Christus juxta utramq; Naturam: id ὁμοθυμαδὸν asserentibus omnibus Evangelistis & Apostolo; *Matth.* 26. *v.* 26. 27. 28. *Mar.* 14. *v.* 22. 23. *Luc.* 22. *v.* 19. 20. 1. *Cor.* 11. *v.* 23. quibus quidem in locis Institutio Sacræ Cœnæ dilucidè & sufficienter describitur.

Porro in Institutione Christi duo sunt attendenda; 1. Christi Gesta & Facta: 2. ejusdem Dicta & Effata; de quibus sentiendum, quod utraque fuerint, I. *Seria*, non histrionica aut scenica: 2. *Gravia* & ardua, quippe ante extremam passionem, jam jam imminentem:

tem:

tem: 3. *Testamentaria*, uti ex dictis & Testimoniis Evangelistarum patet: 4. *Solemnia* promulgantia Novum fidei articulum, & abrogantia veterem Agni paschalis ritum.

2. *Facta* Christi in *prima* specie *quadruplicia* commemorantur: 1. panis *segregatio*: 2. gratiarum actio: 3. panis *fractio*: & 4. *distributio*. *In altera* Specie: 1. poculi *acceptio*: 2. *benedictio*: 3. *distributio*. Ubi notanda Axiomata:

1. *In Factis Christi discernenda sunt principalia à minus principalibus, & essentialia ab accidentalibus Sacræ Cœnæ.* *Quædam* enim pertinent ad ipsum Sacramentum *essentialiter*, *per se ac principaliter*: 2. *quædam ministerialiter*: 3. *quædam* denique *circumstantialiter*.

3. *Essentialia* Cœnæ sunt, 1. panis segregatio 2. gratiarum actio 3. distributio. Sic etiam in altera parte Cœnæ, 1. Calicis cum vino *acceptio*, 2. *benedictio*, 3. *distributio*. *Ministerialis* actio est panis fractio, subservit namque principali, nempe distributioni. Circumstantiæ harum actionum sunt, *partim* temporis quod Cœnam hanc Christus instituerit tempore nocturno: 2. post præmissam duplicem Cœnam, nim. agni paschalis, & cœnam vulgarem, uti colligere est, ex Luc. 22. v. 15. 16. 17. 18 21. Ioh. 13. v. 1. 2. 3. 4. 5. 12. 18. 27. 30. *partim* loci in diversorio, Matth. 26. v. 18.

2. *Facta Christi principalia sunt Norma nostræ*

Cœnæ

Cœnæ Sacræ. Nullo igitur modo omitti possunt aut debent; alioquin Cœna sacra redderetur manca & mutila, & sic rationem Cœnæ Sacræ amitteret.

4. *Dicta* Christi sunt *duplicis* generis; *quædam Mandati*: quædam *Promißionis*. De utrisq; *Axiomata*.

I. Omnia *Dicta Christi in Institutione Sacræ Cœnæ sunt sensu proprio, literali, vel κατὰ τὸ ῥητὸν, adeoq; sine tropo intelligenda.*

5. Sensus *literalis* proprius ille dicitur, quando verba non tantùm uti sonant capiuntur, verùm etiam quem suâ propriâ vi & modo significandi in cujusvis intellectu gignunt & efficiunt: vel, quem verba perspicua, & communis intelligendi modus suppeditant; qui quidem est unicus tùm ex auctoris intentione, tum ex rei significatæ natura. Atque ejusmodi sensum literalem proprium, nequaquam verò modificatum, vel Tropo aut figurâ rhetorica affectum, in verbis Cœnæ esse probamus: 1. quia sunt *sedes ordinaria* ac genuina institutionis Cœnæ: utiq; constabunt sensu nativo, simplici & proprio 2. quia iis promulgatur *articulus fidei* novus antea nullibi traditus: ideoq; non nisi verbis propriis & citra tropum intellectis; alioquin nemo eum agnoscere, & per consequens, nec credere potuisset. Vide solidam hujus argumenti deductionem apud Dn. *Hutt. Loc. de Cœna*, q. 2.

memb.

memb. 2. de *sensu verb. Christi*, *fol.* 69. (18. 3.
quia *omnes* Evangelistæ eadem verba retinent; aut verò inversione & determinatione factâ verborum, à sensu tamen nequaquam recedunt proprio 4. quia Christus post Ascensionem suam in cœlos proprium verborum suorum sensum non modò repetiit; verùm etiam pleniùs explicavit & determinavit, *Luc.* 22. *v.* 19. 20. 1. Cor. 11. *v.* 23. 24. 25. uti ex collatione verborum patet 5. quia verba Cænæ sunt verba *Testamenti* E. non nisi propriè accipienda 6. quia Troporum nulla *necessitas* in verbis Cænæ: nec enim heîc deprehenditur *eversio* analogiæ fidei; neque *contrarietas* locis parallelis opposita; nec denique eam aliqua *absurda* suadent 7. quia ex concessione Tropi *evacuaretur* fidei mysterium, & propositiones Sacramentales, ceu tropicæ, resolutæ in proprias nobis in Sacramento nil nisi nuda elementa relinquent, hocque ipso substantiam Sacramenti prorsus evertent 8. quia modificata ac impropria interpretatio *evertit* Christi *institutionem* & promulgationem; nam quia Christus nullibi nisi apud hosce Evangelistas instituit Cænam sacram: & verò nulla alia interpretatio dari potest, nisi quam penes *Lucam*, *Paulus* 1. *Cor.* 11. *v.* 23. *seq.* suppeditat, sensu per omnia eodem, eoque, ex mente Calvinianorum, modificato E. nulla planè foret institutio Eucharistiæ, qualis constare debet

verbis

verbis propriis in propria ſede conceptis, ac expreſſis, ad quam in ambigua ſignificatione recurrendum ſit. Quò pertinet Axioma B. *Auguſt. l.* 2. *de* Doctr. *Chriſt. c.* 6. *De obſcuritatibus illis nihil eruendum eſt, quod non planißimè alibi dictum reperiatur* 9. quia deſertâ propriâ verborum Cœnæ ſignificatione, fides *titubat*, non habens ubi certò conſiſtat; id quod experientia teſtatur preſertim apud *Calvinianos*: hì quippe à littera verborum Inſtitutionis ſemel divaricantes, perquàm plurimas confinxerunt interpretationes verborum Inſtitutionis; *Lutherus* ſeptem enumerat *in Confeß. Minore*, *Dn.* *Hutt.* decem *L. de Cœn.fol.*684. ut & Dn. Mentz. *in* Exeg. *p.*492. Conrad. Schlüſſelb. ultra *triginta*, *artic.* 22. *Theolog. Sacrament. p.* 100. Claudius de Sainctes *octoginta quatuor*, *in prima repetit. de Euchariſt. c. ult.* vide etiam Bellarm. *l.* 1. *de Euchar. c.* 8. Jodoc. Coccium *Tom.* 1. *lib.* 8. *art.* 7. *c.* 5. 10. quia verba cœnæ eſſent longè *ignobiliora* & deteriora quàvis parabolâ in N.T. quippe hæc ſi non è veſtigio, alibi tamen diſertè explicata fuit, ut refert *Mar. c.* 4. *v.* 34. Cœnæ v. verba à figuratâ & modificatâ (ex hypotheſi Calvin.) locutione, nullibi ſunt liberata, nec per propriam alicubi explicata 11. quia ſequeretur, quod ob tropicam & modificatam locutionem verba Cœnæ, nec ad *morum* nec ad *fidei* veritatem propriè pertinerent; ideò quod figurata ſint. Quod namq; figura-

tum & tropo affectum, nec ad morum, nec ad
fidei veritatem propriè pertinet, (si alibi pro-
priis verbis explicatum ac propositum non
fuerit) tradente B. *August. l.* 3. *de Doctr. Christ.*
c. 10. Sic igitur verbis Cœnæ, non fuisset pro-
12. positus articulus ad fidem pertinens 12. quia
verba *Baptismi* in sede ordinaria non sunt mo-
dificata aut tropica: E. nec Eucharistiæ; alio-
quin hæc non adeò magni foret æstimanda
momenti: ideò quod ob modificatam locu-
tionem nec tutò credi, non accedente propriâ
aliunde declaratione ex scriptura sacra, ac si-
ne periculo salutis æternæ error in ea tolerari
posset, quem quidem concipiendi, in Bapti-
smi institutione, ansa verbis perspicuis & pro-
priis penitùs præcisa est; heîc verò magis ac
13. magis suppeditaretur. 13. quia Sacra cœna est
verum *mysterium*, uti infrà probabitur; nec
subdubitare audebunt Calviniani. Utiq; pro-
positum credi debet in simplici, proprio, eoq;
ad rationis nostræ captum minimè inflexo
sensu verborum: alioquin mysterium non
esset mysterium; siquidem *in mysteriis simpliciter*
credendum est, quod dicitur, monente *Cyrill. l.*
4. *c.* 13. *ac mysterium* est & dicitur, *quando aliud*
videtur, aliud creditur, tradente *Chrysost. hom.* 7.
in 1. *Corinth.* Et *Varinus* sic describit Myste-
rium; *quod sit* θεωρία πνευματικὴ τὴν τῶν
πολλῶν κατάληψιν διαφεύγουσα, &c. hoc est,
contemplatio spiritualis apprehensionem multorum
fugiens

fugiens vel μυστήριον ἐστιν ἄρρητον σέβας, καὶ τὸ ἀπόρρητον, h. e. *mysterium sit ineffabile & inexplicabile pietatis vel cultus dogma.* Jam deserto simplici & proprio verborum Cœnæ sensu, & ascito tropicô, mysterium penitus expirabit: (1.) quia non amplius rationem humanam excedet, nedum eam fugiet (2.) quia in ordinem vulgarem signorum, nec non relationum σχετικῶν censum redigetur 14. quia singula verba in Cœna, *mandati & promissionis*, tropum respuunt. Et de *Mandati* quidem verbis constat, sensu proprio esse intelligenda, ob subsequentem executionem Apostolorum; qui omnes ad unum *propriè* acceperunt & *manducarunt* Corpus Domini cum pane: verè ac *propriè biberunt* sanguinem Christi, cum vino benedicto. *Mar.c.14.v.23.* De verbis *Promissionis* itidem ipsi proprietatem sensus concedunt adversarii: Christum nim. locutum esse de vero benedicto pane, & vero suo corpore, quod in mortem sit pro nobis traditum; de vero vino in calice contento, & de vero sanguine, qui ceu Novi T. pro nobis sit effusus in remissionem peccatorum. Neq; tropus in verbo Est, quærendus: uti *Zvvinglii* commentum ipsimet exsibilant Calviniani; sed duntaxat in subjecto & prædicato, h. e. vel in pane, vel corpore: vel in poculo benedicto, vel vino et sanguine Christi. Ast in neutro reperiri potest, nec denique in totis propositionibus 14.

latitat; id namq; repugnat conditioni Tropi propriæ, ut non *sit affectio integræ orationis, sed simplicis dictionis, mutatio videl. vocis sensus nativi in alienum*: qualis in verbis Cœnæ nulla 15.
15. quia verba Cœnæ gignunt prædicationes *inusitatas*: E. non nisi sensu proprio ac literali, citra tropum, intelligenda. Ratio; quia *omnis prædicatio inusitata locum habere nequit, nisi in simplici, propriâ ac literali vocabulorum significatione*: ita quidem, ut si vel unica vox in propositione ad improprium & figuratum aut tropicum sensum inflectatur; eo momento desinat esse prædicatio inusitata, & degeneret in tropicam aut figuratam, sub qua nil mysterii subesse, supra indicatum fuit 16. quia citra ullum
16. tropum verba cœnæ fuerunt ab universa *Antiquitate* orthodoxâ accepta, & intellecta: cujus testimonia juxta seriem temporum collegit *Marbachius contra Pezelium*, eaq; secundum sententiarum *ordinem* digessit in certa capita, *Dn. Chemn. de fundam. Cœn. c.* 10. ubi etiam fusè
17. allegata legi poterunt 17. quia ipsimet plerique *Calviniani* proprietatem sensus agnoscunt, modificatione rejectâ: nam *Beza* non modò verba Cœnæ; sed etiam illas propositiones: Panis est Corpus Christi; Vinum est Sanguis Christi; fatetur ingenuè, non tantùm esse veras: sed etiam *proprias, planas & perspicuas*, non autem *figuratas*; *volum. 3. tr. Theol. tr. 1. in 3. resp. ad 1. Repetit. Claudii de Sainct. ad cap. 3. pag.* 3. *&*

5. A.

5. A. 1582. Idem *Beza Epist. 5. ad Alemann. Lugdunens.* A. 1566. 2. *Iunii*, sic pro Verborum *proprietate* in Cœna scribit: *Ego verò respondeo, perinde hoc esse, atq; Christum mendacii arguere*, ut qui *claris & perspicuis verbis dicat, se illud ipsum Corpus dare, quod traditum est pro nobis, & illum ipsum sanguinem pro nobis effusum*. Id quod non sine contradictione protulisse *Bezam*, in Antithesi indicabitur.

6. Sunt autem verba *Mandati* loquentia de Manducatione ac participatione, *tùm* Sacramentali; *tùm* Spirituali.

7. De *Sacramentali* sunt intelligenda hæc sequentia: *Accipite, comedite; Bibite ex hoc omnes*, Matth. 26. v. 26. 27. Mar. 14. v. 22. 1. Cor. 11. v. 24. Ubi notandum; 1. verba hæc mandati non reperiri apud *omnes* Evangelistas; adeoq; à Sp. Sancto datâ operâ esse apud Lucam, & Marcum quoad alteram speciem, prætermissa, ob supervacaneam eorundem repetitionem, idq; propter evidentem claritatem & perspicuitatem 2. Hoc mandatum (aliàs à Theologis ποιητικὸν dictum) prærequirere *organa corporis*, *tùm* ratione *acceptionis*; *tùm participationis oralis*. Hinc 3. pro objecto habere ipsam Sacramenti *substantiam*, h. e. sub specie panis, corpus Christi, sub specie vini, sanguinem Christi 4. esse *medium* participationis spiritualis.

8. De *Spirituali* verò: Hoc *facitè in mei com-*

memorationem, Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. 25. Ubi vice versâ notandum; 1. verba hæc apud *Mattheum & Marcum* non extare; sed duntaxat apud *Lucam & Paulum*: explicationis gratiâ, ne participatio Sacramentalis cum spirituali confundatur, id quod ex repetitione ipsius Filii Dei acceperunt & consignarunt, *Lucas* quidem anno 15. post ascensionem Christi in cœlos: *Paulus* verò, anno 21. Cæterùm mentione *Recordationis*, injungitur *devota in mente recordatio paßionis Dominicæ, & applicatio verâ fide beneficiorum morte Christi acquisitorum.*

2. Hoc mandatum prærequire organon *fidei*, hinc actio hæc à Christo vocatur ἀνάμνησις recordatio; ideò quod mentis fiat fideli & devota attentione.

3. Pro objecto habere *Vsum & fructum Sacramenti*, non exclusa tamen ipsius substantiâ.

4. Ejusmodi actionem ἀναμνηστικὴν esse *finem prioris*, videl. perceptionis sacramentalis, (uti infra monebitur) fit n. commemoratio per *manducationem & bibitionem oralem*, 1. Cor. 11. v. 26.

9. Verba *Promißionis* sunt his propositionibus expressa: 1. apud *Matthæum*, c. 26. v. 26. *Hoc est Corpus meum: Hoc enim est Sanguis meus Novi T. qui pro multis effunditur in remißionem peccatorum* 2. apud *Marc.* c. 14. v. 22. *Hoc est Corpus meum*: v. 24. *Hoc est sanguis meus Novi Testam. qui pro multis effunditur* 3. apud *Lucam*,

c. 22.

c. 22. v. 19. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur*: v. 20. *Hoc poculum Novum Testamentum in sanguine meo* (vel per sanguinem meum) *quod pro vobis effunditur* 4. apud *Paulum*, 1. Cor. 11. v. 24. *Hoc meum est Corpus, quod pro vobis frangitur*: v. 25. *Hoc poculum Novum Testam. est in meo sanguine.*

10. Ubi notanda *Theoremata*: 1. Occurrit *hic propositionum varietas non realis, sed verbalis*; consistens in verborum partim *trajectione*: partim *permutatione*: partim certâ, eâq; emphaticâ, *determinatione*. *Trajectio* occurrit apud *Lucam* & *Paulum*; uti per se patet. Nam pro eo quod *Matthæus* & *Marc.* habent: *Hic est sanguis Novi Testamenti, qui pro multis effunditur*: *Lucas* & *Paulus habent*; *Hoc poculum Novum Testam. in sanguine meo, quod pro vobis effunditur* sensu *proprio, grammatico* & *literali* per omnia eodem manente, citra ullum Tropum, vel modificationem. Idq; 1. patet ex *natura Idiotismi*. Nam *Matthæus* & *Marcus* usi sunt Idiotismo *Græco*, (aut *Latino*) in hac propositione: *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, quo nim. Novum Testam. sancitur. Lucas v.* & *Paulus* usi sunt idiotismo *Hebræo*: *Hoc poculum Novum Testamentum in meo sanguine, s. cum meo sanguine, s. per meum Sanguinem*. Perinde igitur habendum, sive hoc modo, Idiotismo nim. æquabili sine verba promissionis prolata: *Hoc quod ego in hoc poculo vobis distribuo, est sanguis meus Novi*

Testamenti: *sive*, *trajectitio ex consuetudine Hebræorum*; Hoc quod ego do in hoc poculo vobis, *est Novum Testam. in sanguine meo*. Ubi non est scepticè in termino *poculi* ludendum; quippe, heîc non nisi in *usu* & *officio* suo sacrosancto, & *quatenus benedictum est*, consideratur: adeoq; quaten. in *sanguine*, *cum sanguine*, *vel per* & *propter sanguinem Christi* Novum Testamentum constituit 2. ex indissolubili nexu in Eucharistiæ usu *vini* cum *sanguine*; sanguinis cum Testamento; Testamenti cum remissione peccatorum; ita ut sese mutuò antecedant & subsequantur, relatorum in morem. Quæ a. hunc in modum conjuncta sunt ita ut divelli à se invicem nequeant: in illis locum habet Trajectio sine omni Tropo & modificatione. Et sic, quia Christi sanguis, est Novi T. sanguis: & vicissim, Testamentum est sanguine Christi sancitum: adeò ut duo ista, ceu correlata, & reciproca necessariam habeant connexionem, utiq; eadem sententia obtinebit utrinq; citra Tropum.

11. *Permutatio* occurrit apud *Lucam* & *Paulum* quoad *priorem* propositionem: Ille enim habet: *Hoc est Corpus meum*; Hic verò: *hoc meum est corpus*. Rursus ille; *quod pro vobis datur*: *hic vero*; *quod pro vobis frangitur*, *h. e. phrasi hebræâ*, distribuitur, ex c.10.1.Cor.v.16.

12. *Omißio* deprehenditur apud *Matthæum* & *Marcum Determinationis*: quod (corpus) pro

vobis

vobis traditur; quæ apud *Lucam* & *Paulum* exprimitur ab ipſo Chriſto poſt aſſcenſionem in cœlos: idque propterea, ne aliquod Corpus *Tropicum* vel *figuratum* ſubintelligatur. Omittitur etiam particula *Quia* apud reliquos Chriſti diſcipulos; à ſolo v. Matthæo exprimitur, non ſine emphaſi ſingulari, ne intelligatur, commune poculum, aut commune vinum: ſed cum ſanguine Chriſti Sacramentaliter unitum; adeoq; Novi Teſtamenti proprium.

2. Verba *Promiſsionis diſtinctè ponunt ſubſtantiam rei cœleſtis, & fructum ſ. uſum ejusdem in Sacramento Cœnæ.*

13. *Subſtantia* exprimitur mentione Corporis & Sanguinis; fructus v. & uſus, mentione *Novi Teſtamenti*: nec non verborum promiſſionis; *quod pro vobis datur: quod pro vobis effunditur in remiſsionem peccatorum.* Nam manducare corpus, & bibere ſanguinem Chriſti in Euchariſtiâ jubemur, *in recordationem*, quod ſanguine hoc Deus fædus nobiscum pepegerit in remiſſionem peccatorum. Unde colligitur diverſitas propoſitionum, quâ alteram partem Cœnæ apud *Matth.* & *Marcum*, & poſtmodùm apud *Lucam* & *Paulum*. Illi ponunt *ipſam rei Cœleſtis ſubſtantiam* in prædicato, cum additione *fructus* ſeu uſus his verbis: *Hoc eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur. Lucas v. & Paulus ponunt fructum & uſum* rei cæleſtis, hâc tamen non excluſâ, ſed *incluſâ*; non remo-

tâ, sed præsentissimâ, his verbis: *Hoc poculum est Novum Testam. in vel cum meo sanguine, vel per meum sanguinem, quod pro vobis effunditur.*

3. *Verba promißionis* (qua substantiam) *sunt fundamentum unionis in Eucharistiâ rei terrenæ cum cœlesti substantiâ.* Hoc est, Elementi *panis* cum corpore Christi: elementi vini, cum sanguine Christi. Neq; tamen existimandum, quod *statim, ac verba hæc recitata fuerint à ministro Ecclesiæ in ritu consecrationis, unio illa interveniat inter elementa, & rem cœlestem*: sed hanc potiùs demùm obtingere *in usu*, h. e. in δόσει & λήψει; *uti præced. disputat.* dictum, & jam dicetur. Hoc v. ex Axiomate colligendum; 1. *Elementa nec annihilari; nec transmutari in Cœnâ Sacrâ*, siquidem unio non abolet, sed conservat res unitas: alioquin non esset ampliùs unio, sed confusio, vel μεταμόρφωσις 2. *verbis Cœnæ promißionis, quà substantiam, æquipollere particulas, in, cum & sub*: idq; 1. ad evitandum transsubstantiationem Papisticam; 2. ad asserendam præsentiam rei cœlestis in Cœna; contra Sacramentarios 3. ad adstruendam *unionem realem* rei elementaris cum cœlesti, contra eosdem & 4. deniq; ad conservandam distinctionem rerum elementarium, & rei cœlestis in ipsâ insuper unione; adeoq; in usu Sacramenti: contra Papicolas.

4. *Verborum promißionis veritas quoad substantiam rei cœlestis, non pendet à fide hominum; sed*

est

est absolutum. Non n. additam habent *conditionem ex parte* hominum, ita ut si qui crediderint, illi etiam soli participes evandant rei cœlestis cum terrena seu elementari; secùs v. increduli aut indigni. Horum namq; incredulitas fidem Dei haut evacuat. Rom. 3. v. 3. æquè ac promissio de Messia; de ejusdem Incarnatione, nativitate, morte, passione ac resurrectione, &c. de mortuorum resurrectione, de extremo Judicio, &c. non suspenditur à conditione fidei, vel incredulitatis humanæ. Addimus tamen, 1. *incredulorum esse duo genera*, ut & *indignorum*: *Vnum* genus est *extra Ecclesiam*; *&* *sic Pagani, Turcæ & Iudæi* κατ᾽ ἐξοχὴν *indigni*, increduli vel infideles nominantur: *Alterum* in Ecclesiâ; & sic increduli dicuntur & indigni, qui *vestem nuptialem secum ad hoc sacrum convivium non afferunt*, sicque verâ contritione & fide destituti, ut & proposito novæ obedientiæ, ad S. Synaxin accedunt. Jam *axioma* interpretamur de posteriori incredulorum genere; hi namq; uti sunt sacro baptismate gremio Ecclesiæ inserti; ita privilegio hocce adeundi cœnam Dominicam præ Paganis gaudent. Ast sicuti eorum fides ad Sacramenti substantiam nil confert; ita incredulitas nil eidem detrahit, qua de re infrâ.

14. Causa *Organica* Sacræ Cœnæ *est Minister Ecclesiæ*, uti ex superioribus patescit. Heîc addimus *Axiomata*:

1. *Minister Ecclesiæ in sacræ cœnæ dispensatione est magis necessarius, ac in prædicatione Verbi, & administratione Baptismi.* Nam ad utramque posteriorem adhiberi potest persona extra munus publicum docendi constituta, urgente inprimis necessitatis casu; uti supra diximus. Ad Cænæ v. sacræ dispensationem nemo ritè vel in extremo necessitatis articulo adhiberi potest, nisi sit persona in officio Ecclesiastico constituta.

2. *Christus ipsemet per Ministrum nobis corpus suum cum pane, & Sanguinem cum vino dispensat.* Nam Christus exhibet nobis dona sua principaliter: Minister v. instrumentaliter.

15. *Caussa Materialis* Cœnæ Sacræ Ex quâ sunt duæ res toto genere distinctæ: una earum externa vel elementaris; altera Interna, invisibilis ac cœlestis.

16. Externa vel elementaris est gemina ac distincta; una inserviens manducationi, nempe panis: altera bibitioni, sc. vinum. Alterutra namq; non sufficit citra mutilationem Cœnæ; nec verò utraq; citra cœlestem, Sacramenti essentiam absolvit.

17. Utriusq; expendendum est officium in genere, & postmodùm substantia, qualitas, & quantitas in specie.

1. Officium Elementi utriusque est vel *primarium, vel secundarium.*

19. De *Primario Axiomata*: 1. *Primarium officium*

officium Elementorum in Cœnâ est inservire δόσει & λήψει, h. e. *distributioni & acceptioni rerum cœlestium*, h. e. corporis & sanguinis Christi. Eum namque in finem elementa in ritu sacræ Cœnæ segregantur & benedicuntur Verbo Christi, ut sint organa & instrumenta distribuendi Corpus & Sanguinem Christi, 1. Cor. 10. v. 16.

2. *Officium elementorum primarium uti quantitate exiguâ non impeditur; ita nec ingenti promovetur.* Ratio; quia heic adhibentur, non ut Corpus nutriant; sed ut sint ὀχήματα *vehicula s. organa* exhibitiva corporis & sanguinis Dominici, juxta *Canonem Concilii Niceni*: *Non multum sumimus, sed parum, ut agnoscamus, non ad saturitatem, sed ad sanctificationem hæc sumi.*

20. *Secundarium* officium Elementorum est, esse *typum, figuram, signum, speciem & monumentum rerum Cælestium*, h. e. corporis & Sanguinis Christi in Cænâ, non absentis, sed præsentissimi.

21. *Substantia* Elementorum s. rerum terrestrium ex *essentialibus* erit pensitanda: quæ qualia sint, non opus est operosâ hoc in loco indagatione; breviter tamen pro ratione instituti nostri de pane & vino, aliquid erit notandum.

22. Panis est massa ex farinâ frumenti & aquâ mixta & coagmentata, calore ignis cocta, ut inserviat corporis nostri sustentationi.

Panis

Panis essentialia statuimus esse, 1. *farinam* cujuscunq; frumenti, sive sit triticum, sive siligo, aut spelta, Zea, &c. non a. analogon quid farinæ, vel frumento: ratio, quia panis verus ab ipso Christo est determinatus: (2.) quia verum, non analogon discipuli manducarunt (3.) quia verus in primitivâ Ecclesia obtinuit (4.) quia Christi promissio de unione sacramentali rei cælestis cum terrenâ, non ad quodvis elementum analogon, sed ad panem (& vinum) directa. 2. aquam, quæ farinam pervadat, & ad subigendum aptam faciat 3. coqui calore ignis, sive in furno, sive in foco 4. aptum esse *sustentationi* corporum nostrorum, idq; ob materiam frumentaceam, potentiâ vegetandi & nutriendi Corpora nostra aptâ præditam.

23. De *qualitate* s. *forma* externa panis, *Theorema*: Panis *Eucharistici qualitas est arbitraria* h. e. ut panis sit vel *fermentatus*, *vel azymus*: eligitur tamen azymus 1. ob sinceritatem, 1. Cor. c. 5. 2. ob Christi corporis *incorruptibilitatem*, ex constitutione *Concilii Constantinop.* VI. 3. ob Christi *exemplum* 4. ob primitivæ Ecclesiæ, præsertim occidentalis, *praxin*. sive sit rotundus, sive planus; rotundus tamen est in Ecclesiis usitatus ex antiquâ praxi; cujus vestigia extant apud Epiphanium, qui meminit panis Eucharistici rotundi: panum planorum vel quadripartibilium usus non adeò manifestus occurrit apud vetustos.

24. De

24. De *Quantitate*, Axioma. *Quantitas minor præfertur majori.* In quibusdam antiquis Ecclesiis olim panis unus grandior in Eucharistia adhibebatur; uti legere est apud *August. Ep.* 31. *&* *Basil. ad Cæsariam patriciam*: ac in partes plures divisus communicantibus exhibebatur. Nihilominus tamen præfertur in nostris Ecclesiis panis in minori quantitate: 1. quò homines commonefiant, panem istum inservire non pascendo ventri; sed sanctificandæ animæ & corpori 2. ut eo tutius in usum Ecclesiasticum asservari; & 3. eò commodiùs inter plures distribui possit idq; 4. propter antiquissimam aliarum Ecclesiarum consuetudinem, cujus vestigia haud obscurè deprehenduntur circa *Ann. Chr.* 180. *apud Iren. l.* 4. *Iustin. Apolog.* 2. *circa A. C.* 130. *vel* 150.

25. *Altera* species vel res Elementaris est Vinum, non arte factum, sed naturâ ex germine vitis productum, ipso Salvatore definiente *Matth.* 26. *v.* 29. *Mar.* 14. *v.* 25. de quo ratione *qualitatis & quantitatis* idem judicium, quod de pane.

Axioma 3. *Vinum meracum citra mixtionem adhibendum in Eucharistiâ.* Antiquitùs temperari solebat vinum modico aquæ in locis calidioribus: idq; non necessitate quâdam obligatoriâ, sed pro arbitrio, qua de re *Iustin. Apolog.* 2. *Iren. l.* 5. *Lyra sup.* 1. *Cor.* 11, *&c.* In nostris v. Ecclesiis Mixtio illa rectè omittitur;

nec

nec n. eam suadet vel nimius fervor ambientis aeris; aut conditio vini, quæ est tolerabilis & temperata; vel excedens quantitas, vel denique ulla alia necessitas sive mandati, sive praxis Apostolicæ, de qua altissimum in sacris silentium.

26. Res cœlestis, *ceu altera pars materialis Eucharistiæ est Corpus & Sanguis* Dn. N. I. C. juxta determinationem verborum Institutionis; quibus jubemur cum pane manducare corpus & cum vino bibere Sanguinem Christi. Non negamus *totum Christum esse* in cœnâ præsentē, *negamus verò totum Christum, ceu rem cœlestem, uniri cum elemento panis & vini: & sic etiam totum Sacramentaliter manducari; sed ejus tantùm corpus cum pane, & sanguinem cum vino uniri & percipi Sacramentaliter*, *ore corporis*: totum v. Christum *spiritualiter*, *ore fidei*.

27. Vocari solet aliàs res invisibilis, mystica, interna, &c. ideò quod in sensus non incurrat, sed credi debeat. Atq; huc spectat propriè *Quæstio de præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Cœnâ*, inter nos & *Calvinianos* agitari solita, & altera, de Modo præsentiæ. Pro utraq; eo dexterius expedienda, præmittimus, *quadruplicititer* rem aliquam alteri dici posse præsentem; 1. *repræsentativè*, per modum signi, figuræ, typi ac imaginis: quo pactô Rex dici potest esse præsens in suâ effigie & magine. 2. *objectivè*, per apprehensionem rei absentis,

ac per mentis operationem de objecto cognito: hoc pacto amicus in Borussiâ, alteri Romæ vel in Germania versanti præsens dici potest, quoties de ipso cogitat 3. *effectivè*, sive virtualitèr, per operationem: ita Sol & reliqua astra nobis dicuntur esse præsentia ob effectū s. operationem ac influentiam 4. *substantialiter, verè ac realiter, per adessentiam* veram, realem ac substantialem: sicuti v. g. Sol est in cælo secundùm substantiam præsens. De tribus priorib. Præsentiæ modis, ratione corporis & sanguinis Christi in Cœna non adeò litem intenderemus Calvinianis: modò illi quartum admitterent; largimur namq; 1. Corpus & Sanguinem Christi repræsentari per panem & vinum: 2. utrumq; repræsentatum *fide apprehendi*: 3. *effectum* Gratiæ in nobis *operari*. Addimus v. hisce præsentiæ modis Sacramentum Cœnæ à V. T. Sacrificiis ac typis neutiquàm distingui: siquidem & illa Christi Carnem & sanguinem *repræsentabant* ac figurabant: 2. Patriarchæ etiam futurum Corpus & sanguinem Christi fide apprehendebant: & sic 3. Gratiam & remissionem peccatorum, ob Christi mortem & Sanguinis effusionem futuram consequebantur. De Postremo v. acriter inter Nostrates & Calvinianos ab initio ferè renascentis Evangelii disceptatum fuit: his in negativam; illis v. in affirmat. descendentibus. Ubi circa *Affirmativam* veniunt remo-

vendi *alieni & peregrini* præsentiæ modi; 1.
Physicus ac localis, quo pacto corpora nostra
dicuntur esse in loco, quamdiu subjacent τῇ
θνήτῃ δυσχερείᾳ, mortali infirmitati 2. *Trans-*
substantiativus & conversivus, à Papicolis con-
fictus; neq; hunc in diem probatus 3. *Impana-*
tivus, vel inclusivus, Lutheranis ab utrâq; parte
adversa afflictus, ac à nostratibus vel millies ex-
plosus. Ponendus v. *Sacramentalis ac Mysticus*;
verus tamen, realis ac substantialis: quo cor-
pus Christi cum pane; Sanguis v. cum vino
verè ac realiter, in essentiâ vel substantia suâ
unita præsentissimè adsunt, ac à Christianis
Eucharistia utentibus, percipiuntur. Qualis
quidem præsentia Corporis & Sanguinis Chri-
sti in Cœnâ *tripliciter* obtingit; 1. verè, rea-
liter ac substantialiter: 2. utiliter, ex ordina-
tione divinâ digne Sacramento utentibus: 3
exitiosè ex indignè manducantium culpa,
adeoq; ex *accidente*. Nos in præsentiarum a-
gemus de præsentia ratione *substantialis præsen-*
tiæ corporis & sanguinis Christi in cœnâ Sa-
cramentalis, nec non sententiam Orthodox-
Ratio. sequentibus argumentis evictam dabimus 1
1. ducimus ab expressis Christi verbis: Hoc e-
Corpus meum, Hic est Sanguis meus: Unde sic con-
cludimus: Cujus rei Christus verbis expressis
& propriè, (citra tropum vel figuram) inte-
llectis præsentiam substantialem asseverat, il-
lam etiam omninò præsentem esse substanti-
lit-

liter necesse est. Ratio copulati nititur Christi veritate in asserendo, & Omnipotentiâ in præstando. Jam v. Corporis & Sanguinis sui præsentiam substantialem Christus verbis expressis, & propriè (citra modificationem aliquam) intellectis asseverat, dum dicit, 1. *Hoc est Corpus meum*: quo sensu *nusquam tropicè* in sacris capitur; 2. quod pro vobis traditur in mortem: quo vicissim innuitur Corpus Christi proprium. Pariter Christus vocat *Sanguinem suum*, qui pro nobis effusus sit, &c. Ergò Corpus & Sanguinem Christi in cœnâ substantialiter vel realiter præsentem esse, omninò necessè est. II. *ab actu* manducationis & bibitionis realis, veræ ac propriæ à Christo injuncto: Cujus substantiæ manducationem & bibitionem veram, realem ac propriam Christus de præsenti injunxit, illa verè, realiter ac propriè, (licet modo mystico) in actu illo præsens sit oportet ratio connexionis; quia vera, realis ac propria manducatio & bibitio non nisi *circa substantiam veram, realem ac ipso actu præsentem* occupatur: neq; n. vel fando auditum est, accidentia *propriè*, verè ac realiter manducari posse, aut substantiæ absentis existimandam esse manducationem de præsenti aliquam veram, realem ac propriam, qualem quidem Christus heic injunxit. Atqui Christus Corporis & Sanguinis sui (in *propria* significatione) manducationem ac bibitionem ve- 2.

ram, realem ac propriam de præsenti injunxit, dicens, *accipite*, *Comedite*, *bibite*, Hoc est *Corpus meum*: Hoc est *Sanguis meus*, *&c.* 3. ab
3. *executione* Apostolorum injunctæ manducationis & bibitionis propriæ ac realis, *Marc.* 14. *v.* 23. 4. *à natura* propositionum *exhibitivarum*: Hoc est corpus meum; Hoc est Sanguis
4. meus. Ubi in subjecto involvitur res duplex una minus principalis: altera principalis, ac proinde in prædicato expressa ac determinata. Nec n. particula τ8̃το, de pane & vino solo nec de corpore & Sanguine solo, sed de *utroque* intelligenda: sic tamen, ut de re elementari ὀργανικῶς & minùs principaliter ac *secundario*, de re *sublimi* ac cœlesti κυρίως ac *primario* efferatur, uti ex prædicato planum est, idque propter intervenientem *Vnionem* Sacramentalem. Aut igitur statuenda præsentia rei cœlestis realis in Cœnâ: aut uno impetu convellenda propositionum exhibitivarum indole in verbis Christi, quâ perversa expirabit unio realis Sacramentalis inter rem elementarem & cœlestem, adeoque mysterium degenerabit in rem profanam 5. à *discrimine* Sacramento-
5. rum V. T. agni paschalis, & N. T. Eucharistiæ: Aut igitur statuenda erit præsentia rei cœlestis in Sacramento Cœnæ realis, ac substantialis: aut discrimen inter agnum Paschalem & Cœnam Domini prorsus tolletur ratione *partis nobilioris*, *s.* rei *cœlestis*: sicuti in illo it

ita in Cænâ Domini res cæleſtis abſens, quâ ſubſtantiam, aſſeveretur: ac proinde in N. T. erunt *eædem umbræ*, & figuræ, typi & ſigna, æquè ac in V. erant, contra *Col.* 2. *v.* 17. *Hebr.* 8. *v.* 5. *c.* 10. *v.* 1, 6. *à conditione* potiori Sacramentorum Novi T. Si nihil aliud præter panem & vinum præſens perciperetur, utique Sacramentum Cænæ eſſet deterioris conditionis præ Sacramento agni paſchalis, nam in hujus ritu præſens erat Caro & Sanguis: in noſtrâ verò Euchariſtia *ſolus panis*, *ſolumque* vinum, ob abſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti: ac in agno Paſchali potior fuiſſet *analogia* ad Carnem & Sanguinem Chriſti, ob præſentiam Carnis & Sanguinis agnini, quàm in ſacræ Cænæ pane & vino 7. à *diſcrimine Cœnæ vulgaris*, *Luc.* 22. *v.* 17. 18. & *Euchariſtiæ*, *v.* 19. 20. Si nil præter panem & vinum præſens in Euchariſtia, tunc nil diſcriminis interveniet inter Cænam *vulgarem* quam Chriſtus concluſit d. l. & *Cœnam Dominicam*: nam & ibi panis & vinum erant præſentia, non autem Corpus Chriſti ac ipſius Sanguis, cum illis elementis unita 8. à *participatione indignorum*, uti corporis, ita ſanguinis Chriſti, 1. *Cor.* 11. ita ut manducando & bibendo indignè, rei fiant corporis & ſanguinis Chriſti, ſibique ipſis judicium manducent & bibant, ideò quod non diſcernant *corpus Chriſti*, v. 27. 29. 9. à natura *Teſtamenti*, Poſito Teſtamento poni præſentiam

 ſubſtan-

ſubſtantiæ ſanguinis Chriſti realem neceſſum eſt, quia *nullum Teſtamentum inter Deum & homines ſine ſubſtantiæ ſanguinis præſentiâ verâ ac reali ſancitur*, Ex. 24. v. 8. Heb. 9. v. 18. 20. 22. 10.
10. *ab Emphaſi* verborum apud *Matthæum & Marc.* *Hic eſt Sanguis meus Novi Teſtam.* quæ verba deſumpta ſunt ex Exod. c. 24. fatente ipſo *Bezâ*, *in ſolut.* 29. *Demonſt. Illyr. & Tremellio*; ideoq; proprie intelligenda, ex repetitione *Hebr.* 9. *v.* 20. Sicut igitur 1. in V. T. erat propriè & realiter ſanguinis ſubſtantia pecudum præſens: ita etiam in N. T. *ſubſtantia ſanguinis Chriſti præſens ſit oportet*; aliàs enim (1.) ratio *Teſtament* non amplius eſſet ſarta tecta, abſente ſangui ne (2.) Signum fuiſſet præſtantius ſignato, (3.) umbra corpore 2. ſicuti populo in V. T. appli cabatur ſanguis pecuinus ſ. typicus, realite & verè præſentiſſimus per *aſperſionem*: ita in N. T. ſanguis Chriſti ſemel in ara Crucis De oblatus applicatur *bibitione, vel irrigatione & aſperſione reali oris noſtri*, alioquin nulla foret in N. T. applicatio ſanguinis Chriſti: & ſi Teſtamentum ex parte noſtra non eſſet Teſta mentum, id quod *abſurdum* 11. ab *Emphaſi* ve
11. borum apud *Lucam*, c. 22. v. 20. & *Paulum*, 1 Cor. 11. v. 25. *Hoc poculum Novum Teſtam.* i *Sanguine meo, quod pro vobis effunditur in remiſſi nem peccatorum.* Unde inferimus: 1. Propter vel per quod, Poculum dicitur Nov. T. in ſa cra Cœna, illud eſt cum poculo realiſſimè pra ſen

sens, ratio est, est n. causa *συνεκτικὴ* & *proxima ac immediata*, s. *τὸ διότι* illius denominationis, quod *poculum* dicatur *Nov. Testamentum*, alias caussa *συνεκτικὴ*, proxima & immediata, non esset proxima & immediata. Jam v. poculum Eucharisticum dicitur Novum Testam. propter, vel per sanguinem, ipso Christo asserente, nec n. vel propter materiam aut formam ita dici meruit. E. (2.) *poculum* dicitur pro nobis *effusum*, aut citra sanguinis Christi præsentiam, aut propter substantialem præsentiam: Prius impossibile & profanum, quî namque poculum s. vinum pro nobis effusum esse piè quis dixerit? E. verum erit *posterius* (3.) sine sanguine nulla est remissio peccatorum in quolibet Testamento divino, *Hebr. c. 9. v. 22.* Atqui poculum Eucharisticum, seu Nov. T. est effusum *in remissionem peccatorum*, juxta Christi assertionem. E. non est destitutum sanguine substantiali præsente 12. ab *immediatâ* connexione in Eucharistia *remissionis* peccatorum cum Testamento, *hujus* cum sanguine, *sanguinis* cum vino, *vini* cum poculo. Ut igitur *remissio peccatorum non est sine Testamento*, ita nec Testamentum, præsertim Novum, sine sanguine. 13. ex 1. Joh. 5. v. 8. Ubi in numero Testium super *terram* recensetur *sanguis Christi*, præcipuè in Cœna Domini. Unde *Patres* communiter locum hunc de Eucharistia, ob mentionem *sanguis*: sicuti etiam de *Baptismo*, ob

 mentio-

mentionem *aquæ*, interpretantur. Hinc argumentamur; Ubi ſanguis Chriſti teſtimonium dat, ibi præſens eſt ſubſtantialiter: quia operatio præſupponit exiſtentiam, ſ. præſentiam. Atqui ſanguis Chriſti teſtimonium dat *in terris*, nim. in Cœna ſacra. E. etiam præſens eſt
14. neceſſariò in terris, adeoq; in Euchariſtia 14. à *deſcriptione* Apoſtolicâ Cœnæ Dominicæ, 1. Cor. 11. v. 20. Aut corpus & Sanguis Chriſti faciunt ad eſſentiam Cœnæ ſacræ, ceu partes συστατικῶν ipſius; aut ſecus. Si prius, neceſſariò eorum requiritur præſentia realis in terris *ratio*, quia Cœna Dominica celebratur in terris, *convenientibus videl. hominibus Chriſtianis in unum*: ponere a. eſſentiam rei, & ſtatuere partes ejusdem συστατικὰς abſentes, eſſet vanitates gerris Mileſiis vaniores prodere. Sin ſecus, Cœna Dominica conſtabit ſolis elementis panis & vini; & ſic κυριακὸν δεῖπνον degeneraret in δεῖπνον ἀνθρώπινον vulgare & quotidia-
15. num. 15. ex 1. Cor. 10. v. 16. Ubi panis benedictus dicitur eſſe κοινωνία Corporis, & poculum benedictum κοινωνία ſanguinis Chriſti. Hinc argumentum: κοινωνία vera ac realis præſupponit *præſentiam rei veram* ac realem: ratio, quia mutuo ſeſe conſequuntur, 1. unio rerum realis ac vera, quæ conſiſtit non in abſentia, ſed intima præſentia rerum unitarum: 2. κοινωνία *conſequens* unionem, ipſiusq; exprimens indolem; ita ut ſi illa realis, ſit & hæc: & *contra*; ſi illa

si illa σχετικὴ & relativa, vel significativa fuerit, sit & hæc. Jam verò panis benedictus, & poculum benedictum dicuntur κοινωνία: ille quidem corporis: hoc verò sanguinis Christi. E. 16. ab enormi absurdo. Si namq; substantia corporis & sanguinis Christi à verbo mandati edite, bibite, excluderetur, utiq; verba illa, edite hoc est corpus meum: bibite, hoc est sanguis meus; ad cœnæ substantiam planè non pertinerent, & seorsim posita, nil certi significarent. Atqui posterius absurdum. E. & prius 17. à Testimonio venerandæ Antiquitatis, utpote Tertulliani l. 4. contra Marcion. Iren. l. 4. c. 34. Justin. Martyr. d. 3. c. 3. Cyprian. Theodoreti, Ambrosii, Chrysost. August. De quibus consule Dn. Chemnit. de Fundam. Cœnæ, c. 10. Marbach. contra Pezelium, &c.

28. Hæc de re cœlesti nonnihil fusiùs in medium afferenda erant: progrediamur nunc ad Formam Cœnæ sacræ.

29. Forma sacræ Cœnæ consistit in δόσει, h. e. datione, & λήψει, h. e. sumptione, more aliorum Sacramentorum; illa concernit subjectum dans, hæc v. recipiens.

30. De δόσει, Axiomata: 1. Dosis à Ministro Ecclesiæ obeunda, uti suprà dictum. 2. Dosis in utraq; specie Sacramenti Cœnæ est æqualis, h. est, non plus in una, quàm in alia.

3. Dosis utrobique triplici actu expeditur; 1. separatione; 2. benedictione; & 3. Distributione.

31. De Separatione, axiomata: 1. *separatio versatur circa nuda elementa: 2. segregatione eorum factâ ab* usu profano ad sacrum: 3. *exprimitur verbo*, Accepit.

32. De *Benedictione* (quæ exprimitur voce ἐυχαριστήσας & ἐυλογήσας) seu consecratione *Canones*: 1. *Consecratio s. Benedictio mutat elementa non à substantiæ veritate: sed ratione finis ob adjectionem* Gratiæ *novæ*; ut ita fiat divinum Sacramentum.

2. *Benedictio s. consecratio est, conjuncta cum peculiari virtute & efficaciâ, ob quam panis & vinum fiunt κοινωνία* Corporis *& sanguinis* Christi.

3. *Benedictio vel consecratio est fundamentum unionis & præsentiæ sacramentalis*; ob verbum Christi veracissimum & omnipotens Institutionis, quo elementis peculiariter benedixit. Nisi tamen subsequatur *distributio & sumptio*, tunc nulla fit unio & pręsentia Sacramentalis rei cœlestis cum elemento: ratio, quia tota δόσις ministri eò refertur, ut communicantes Sacramentum percipiant. Proinde *verba promißionis non debent divelli à verbis mandati, accipite, edite, bibite.*

33. De *Distributione* (quæ innuitur voce *dedit, & fregit* apud Paulum) *Maxima*:

Distributio occupatur non in solo pane & vino, sed in re terrenâ & cœlesti simul, vigore benedictionis illius, Sacramentaliter mutuò unitis: ita tamen, si simul accedat λῆψις s. *perceptio*, sine

qua

qua distributio nomen & officium suum amittit; adeoq; nec δόσις ampliùs jure vocari, nec Christi ordinatio ritè servari potest.

34. De λήψει quæ est actio sumentis; initiò notanda *Theoremata*: 1. *Acceptio est terminus universæ δόσεως à ministro peractæ*: tota namq; ministri δόσις eò refertur, ut communicantes Sacramentum percipiant; adeò ut sine perceptione δόσις illa sit frustranea.

2. *Acceptio s.* λῆψις *duos includit actus*: 1. *apprehensionem*: & 2. *oralem manducationem & bibitionem*.

36. De *Apprehensione* tenendum, quod *sit indifferens & libera*: nil namq; interest, utrum *manu*, an verò ore fiat, utraq; n. est vera: *oralis* quidem Mar. 15. v. 25. Joh. 19. v. 29. 30. de *manuali* nemo dubitat.

36. De *Manducatione & Bibitione* tenendum, *quod non uno modo in sacris usitata* reperiatur: est namq; alia *Physica* circa cibum & potum modo naturali occupata: qualis describitur *Matth*. 15. *Marc*. 8. *Ioh*. 6. *v*. 26. & 32. talis etiam erat manducatio & bibitio circa vulgarem Cœnam occupata, *Luc*. 22. *v*. 18. 19. 2. *alia Angelica*, de *qua Genes*. 18. 3. *singularis & dispensativa*, qualis erat *Christi post resurrectionem*, *Ioh*. *c*. 21. *v*. 5. 13. *Act*. 10. 41. *Luc*. 24. *v*. 42. 43. 4. *alia Mystica* & spiritualis, de qua *Iob*. 6. *v*. 27. 28. 29. ubi manducare idem denotat, ac *credere* 5. denique *alia Sacramentalis*, de qua hoc loco. In

quan-

quantum v. conveniat cum prioribus, quartâ exceptâ, in quantum verò ab iis differat, aliquid erit monendum in sequentib. Theorem.

1. *Manducatio & Bibitio Sacramentalis est vera, propria & realis, non a. metaphorica vel spiritualis*: sequitur n. indolem *unionis* sacramentalis: qualis igitur hæc est, talis manducatio & bibitio 2. quia fit ore corporis: E. etiam propria & circa substantiam occupata rei cœlestis (proprietate intellectâ vocis *grammaticæ*, non v. *objecti*, quod inusitatum & singulare.)

2. *Manducatio & bibitio Sacramentalis est una, non gemina*, 1. quia una verbis expressis determinata, 2. quia Sacramentum cœnæ non est geminum, sed unum, 3. quia res elementaris & cœlestis participantur, non quat. *sunt res distinctæ*: sed quat. Sacramentaliter *unitæ*.

3. *Manducatio & bibitio oralis sacramentalis competit rebus terrenis immediatè ac primariò: rei v. cœlesti, h. e. corpori & sanguini Christi mediatè & secundariò: propriè tamen & verißimè.* Est namque manducatio & bibitio sacramentalis ex eorum genere quæ ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἓν dicuntur; aliàs *analoga* attributionis: ubi de uno *analogato* prædicatum *principaliter* effertur: de altero *secundariò*; *verißimè* tamen & *propriißimè* v. gr. *Ens* primariò dicitur de Substantiâ; *secundariò* de Accidente, verissimè tamen ac propriè. Sic manducatio & bibitio *primariò*, & *immediatè* prædicatur de pane & vino; *secunda*-

riò

riò vero de corpore & ſanguine Chriſti, *veriſ-ſimè* tamen ac *propriè*. Veriſſimè itaq; , realiter ac propriè manducatur corpus , & bibitur ſanguis Domini in Cœna; 1. quia corpus & ſanguis Chriſti ſunt in Cœna præſentia : 2. verbis diſertis expreſſa citra ullum *Tropum* : 3. ceu altera pars Sacramenti Euchariſtiæ : 4. à Chriſto ad manducandum & bibendum inſtituta : 5. ab *Indignis* inſuper percipiuntur, 1. Cor. 11. 6. *ob unionem* ſacramentalem.

4. *In manducatione & bibitione Sacramentali datur proportio inter os noſtrum, & rem cœleſtem Sacramenti*: ratio, quia *proportio illa fundatur in unione Sacramentali*: *ubi os* noſtrum non percipit immediatè corpus Chriſti; ſed πρώτως ac ἀμέσως panem ; *propter unionem* v. os noſtrum etiam cum pane percipit verum ac ſubſtantiale corpus; cum vino, verum & ſubſtantialem ſanguinem Chriſti. 2. quia elementa illa acceperunt divinam vocationem & benedictionem; quo ſint vehicula quædam corporis & ſanguinis Chriſti.

5. *Manducatio & bibitio oralis ſunt complementum actionis Sacramentalis*: Ratio; 1. ob *unionem* Sacramentalem rerum elementarium cum cœleſti : adeoq; 2. intimam in actu manducationis & bibitionis oralis *præſentiam* : adeò ut 3. nec ante, nec poſt manducationem & bibitionem rerum cæleſtium unio quæri in ſacramento debeat.

6. *Mandu-*

6. *Manducatio & bibitio oralis Sacramentalis est Novi Testam. propria; nec extra eam locum habet.*

7. *Manducatio non est cum bibitione confundenda.* Idq; ob *sapientißimam* Christi institutionem; ubi sub specie *panis*, nobis Corpus *tantùm* sub specie *vini* sanguis Christi *tantùm* exhibetur 2. ob *perfectam cibationis* rationem; quæ uti nec sola *manducatione*: ita nec solâ *bibitione* absolvitur 3. ob *emphaticam* distinctionem, eamque iteratam, *prioris* speciei à *posteriore*, per *particulas demonstrativas*, 1. Cor. 11. v. 26. 27.

8. *Manducatio & bibitio oralis omnibus ex æquo communicantibus est injuncta per modum mandati irrefragabiliter.* Urgendum est hoc Theorema contra *Pontificios*, alteram Cœnæ partem calicem nempe benedictum laicis subtrahentes non sine sacrilegio & furto, erroremque suum distinctione inter Institutionem & Præceptum palliantes, sed frustra; uti à nostratibus multoties demonstratum. Vid. *Dn. Balduin.* in discept. de Utraq; specie Eucharistiæ, *Becano* oppositâ, Dn. *Meisner. p.* 2. *Sobr. Phil. s.* 2. *c.* 3. *q.* 14. ubi solidè effugium illud Papisticum discutitur; nec ampliùs defensum à *Becano in Manuali*; sed aliunde, ante hæc pleniùs confutatum, nudè ponitur. Proinde in eo refutando minimè immorandum, sed ad confirmationem *Axiomatis* pergendum. Quod igitur Christi institutio & mandatum non tan-

tùm

tùm de manducando, sed etiam bibendo in Eucharistia omnes communicantes obliget, ex sequentibus argumentis patet; 1. ab *expressa literâ* apud Matth. 26. v. 27. ubi *omnes* jubenter bibere; non tantum *Clerici*, verùm etiam *omnes* Christiani sub personâ Apostolorum sacram synaxin accedentes, uti ex 1. Cor. 10. & 11. planum est. 2. ab expresso verbo *mandati* bibite; cujus est eadem ratio cum altero mandati verbo, *edite*: neque enim diversam hunc usque in diem demonstrare potuerunt Pontificii. Quibus igitur injunctus est actus *manducandi*, iis etiam injunctus est *actus bibendi*: & sicuti ille *obligat*; ita & *hic*, *omnes manducantes* 3. quia sanguis Christi pro *omnibus* effusus est in remissionem peccatorum, Matth. 26. v. 28. E. omnibus Christianis applicari debet in Eucharistiâ per *actum bibitionis*; sine quo in Eucharistia non fit applicatio, ex ordinatione & institutione Christi 4. quia *poculum* benedictum dicitur *Novum Testam. in sanguine Christi*: qui igitur fieri consortes Novi T. volunt, de poculo benedicto prius participare tenentur, sine quo Testamentum eis applicari non potest; sicuti in V. T. nemini fœdus Dei applicabatur sine sanguinis *aspersione*, Exod. 24. Heb. 9. 5. *à praxi* Apostolica: omnes enim biberunt ex poculo, *Mar.* 14. *v.* 23. omnes ergò hodieque tenentur communicantes,

Margin: 1. (beside "ex sequentibus"), 2. (beside "& 11."), 3. (beside "cantes 3."), 4. (beside "& institutione"), 5. (beside "Heb. 9.")

non

non modò manducare ; sed etiam bibere : ratio, quia *Apostoli omnium Communicantium personam sustinuerunt*. 6. *ab emphasi* Luc. 22. *v*. 20. & *Paul*. 1. *Cor*. 11. *v*. 25. ubi particula ὡσαύτως evincit nullo modo intermittendam esse *alteram speciem* Cænæ, sed communicantibus omnibus exhibendam 7. ab *Emphatica* repetitione *mandati*, *Hoc facite*; 1. *Cor*. 11. *v*. 25. videl. id quod Christus instituit : instituit a. Christus Cænam sub utraq; specie, ad manducandum & bibendum. E. neutrum ulli communicantium intermittendum. *Deinde*, quæ ratio est verborum *Hoc facite*, quoad priorem partem, 1. Cor. 11. v. 24. eadem etiam erit eorundem, v. 25. quoad alteram speciem Eucharistiæ : ratio, quia eorundem verborum in ordinaria articuli fidei sede non potest non esse idem sensus & valor. Jam verò verba illa, *Hoc facite*, obligant omnes communicantes sub necessitate *mandati* E. & posteriora, v. 25. 8. ab *annunciatione* mortis Dominicæ in Cænâ : 1. Cor. 11. v. 26. Quàm igitur necessaria est mortis Dominicæ annunciatio in Cænâ sacrâ, tàm necessaria quoq; non solùm manducatio, sed etiam *bibitio* ex poculo benedicto, uti contextus verborum evincit : Quotiescunque n. comederitis panem *Hunc*, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuncietis, &c. ubi apertè *medium & fundamentum* annunciandæ mortis Dominicæ innuitur, uti *manducatio* panis

nis benedicti: ita *bibitio* poculi Eucharistici. Atqui mortis Dominicæ annunciatio est necessaria, *necessitate mandati*, omnesq; communicantes obligat, adeò ut secus facientes rei evadant corporis & sanguinis Christi, nec non judicium sibi manducent, & bibant. E. manducatio & bibitio distinctim erit necessaria. 9. Quibus poculum Eucharisticum subtrahitur, ii non possunt dici *indignè* tantùm manducando, rei esse sanguinis Christi: ratio; ideò namq; hujus Rei dicuntur, quod *indignè bibant* ex poculo benedicto. E. hoc subtractô, uti nec sanguinem percipiunt, ita ejus haut fiunt rei, id quod contra Apostolum 10. à *præscriptione Apostolica* certi termini, quousq; actus distinctus uterq; obtinere & durare in Ecclesia debeat; sc. donec *Christus venerit*, 1. Cor. 11. v. 26. h. e. usq; ad finem seculi. E. mutari citra sacrilegium non debet. 11. ab *Emphasi* Paulinâ, 1. Cor. 10. v. 16. Poculum cui benedicimus, nonne κοινωνία sanguinis est Christi? Panis quem frangimus, nonne participatio est Corporis Christi? Hinc inferimus. Si *poculum benedictum* est κοινωνία sanguinis Christi *tantùm*; non v. *panis*: & verò *panis est* κοινωνία Christi Corporis *tantùm*; non verò *poculum*; sequitur: denegato communicantibus calice benedicto simul eos privari sanguine Christi: adeoque Sacramentum sub unâ specie exhibitum, non esse amplius Sacramentum Eucharistiæ; quippe cu-

9.

10.

11.

pe cu-

pe cujus ſubſtantiam neceſſariò ſanguis Chri-
12. ſti ingredi debet. 12. à *poculi* Euchariſtici *con-*
ditione : eſt namq; pars eſſentialis vel συςατικὴ
Cænæ ſacræ. E. nullo modo communicanti-
bus ullis ſubtrahi debet ; aliàs namq; hi non
totam Cænam ; ſed partem ejusdem perci-
pient, h.e. Cœnam Domini mutilatam; ſemi-
cænam, h. e. non cænam Domini, qualis per-
fecta & totalis eſſe debet ex Chriſti inſtitutio-
13. ne. 13. à *Bibitionis indole* in Euchariſtiâ ; perti-
net namque *ad formam* cænæ ſacræ : E. nullo
modo abeſſe poteſt in Cœnâ, neq; aliquibus
communicantibus denegari debet. Anteced.
probatur, 1 in *genere* in δόσει namq; & λήψει
conſiſtit *forma cænæ ſacræ*, uti ſupra dictum 2.
in *ſpecie* ; quia bibitio *eſt actio completa & ulti-*
mus q. terminus internus univerſæ præcedentis δό-
14. *σεως καὶ λήψεως.* 14. *ab abſurdo* ; ſublato po-
culo, eoq; denegato Laicis, Euchariſtiam hi
perciperent ratione ſubſtantiæ diverſam ab
Euchariſtiâ ab Apoſtolis perceptâ ; in hac n.
manducarunt & biberunt : Laici verò hoc
tempore apud Pontificios duntaxat *manducant*;
non *bibunt* ex poculo Euchariſtico. Utiq; di-
verſam à Chriſti mandato & praxi Apoſtolo-
rum, nec non primitivæ Eccleſiæ Euchariſtiã
participant. Id quod contra illud Apoſtoli ;
ubi jubet tam diu eſſe manducandum de pane
benedicto & poculo Euchariſtico bibendum,
donec Chriſtus venerit. Plura accumulare
argumen-

argumenta nolumus; quæ ducere possemus, 15. à *natura Testamentariæ dispositionis* celebrandi Eucharistiam, quæ debet esse *prorsus invariabilis*. 16. *ab illicito*: Nullius namq; Sacramenti essentialia vel substantialia mutare addendo aut detrahendo, licitum ulli hominum: uti nulli Sacramenta instituere integrum: utrobiq; n. eadem potestas præsupponitur, h. e. infinita, soliq; Deo propria. Exceptiones & objectiones Pontificiorum aliunde discussæ (apud Autores commemoratos) petantur. 15. 16.

9. *Manducatio oralis corporis Christi, ut & bibitio sanguinis Christi in Eucharistiâ est omnibus professione Christianis, dignis & indignis, communis.* Digni vocantur fideles; sic dicti, 1. quia indignitatem suam agnoscunt per pœnitentiam: 2. quia fide verâ Christi promissionem excipiunt: 3. quia propositum bonum emendandæ vitæ habent: 4. quia participant in Christi commemorationem. Indigni dicuntur 1. *veste* nuptiali destituti, h. e. contritione & fide; 2. non *discernentes* corpus Domini; 3. rei fientes corporis Christi; 4. sibiipsis judicium manducando & bibendo accersentes.

37. Porrò ad *Formam* Sacræ Cœnæ pertinet *Vnio* Sacramentalis; quam non incommodè formam *internam* si quis vocitare velit, non renuimus. Sic a. definitur à *Dn. Mentzero*, *Tom. 3. Giss. disp. 6. th. 59. Vnio Sacramentalis in sacrâ cœnâ est copulatio sive conjunctio panis &*

Corporis Christi, itemq; vini & sanguinis Christi, verbo veracis & omnipotentis Christi facta, ut sit unum Sacramentum, & pane hoc manducato verè etiam manducetur corpus Christi, & hausto hoc vino, verè etiam hauriatur & bibatur sanguis Christi.

Theoremata: 1. *Vnio Sacramentalis Cœnæ sacræ neq; sensui exponitur, neq; ratione humanâ investigatur: sed simpliciter est credenda.* Hinc vocatur *Mystica & arcana; divina*, ideo quod à Deo sit instituta & divinâ virtute perficiatur: insuper *spiritualis*, in laxiore sensu, quat. opponitur *sensuali*.

2. *Vnio Sacramentalis in Eucharistia inter panem & Corpus Christi; inter vinum & sanguinem Christi judicanda est ex Christi verbis mandati & promißionis: edite, hoc est Corpus meum: bibite, hoc est sanguis meus.* Pariter ex illis verbis *Pauli* definienda; *panis quem frangimus est communicatio corporis Christi: poculum cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi.*

3. *Vnio sacramentalis Eucharistiæ extra usum non est durabilis, ideoq; nec statuenda.* Ratio, fit namque unio in *ipso actu δόσεως καὶ λήψεως*; uti supra dictum.

4. *Vnio hæc mystica est fundamentum Propositionum Sacramentalium.* Triplices autem occurrunt; 1. Evangelisticæ, eæq; *complexivæ & exhibitivæ*: Hoc est corpus meum: Hoc est sanguis meus 2. *Paulinæ*, 1. Cor. 10. v. 16. Panis est *κοινωνία* corporis Christi; Poculum est *κοινωνία*

sangui-

sanguinis Christi ut & illa: Hoc poculum est Novum Testamentum in meo sanguine, apud Lucam, & Paulum 3. *Ecclesiasticæ*; Panis est corpus Christi: vinum est sanguis Christi. Licet a. inter illas discrimen intercedat: omnes tamen in unione sacramentali fundantur: quippe omnis affirmativa prædicatio fundatur in unione rerum, quæ de se invicem dicuntur, ob quam etiam verificatur.

5. *Vnio sacramentalis non debet confundi cum spirituali:* (in significatione strictâ) *neq; cum habitudinali caritatis; neq; cum essentiali s. corporali, nostri cum Christo.* Apolog. *Aug. Confess. ex Cyrillo super* Ioh. *c. 15. tres* recenset unionis *modos*; 1. *Vnio est fidei*, per quam nos cum Christo *spiritualiter* unimur, ita ut Christus habitet in cordibus nostris per fidem, *Eph. 3. v.* 17. 2. unio *habitudinalis* caritatis, de quâ *Ioh.* 17. *v.* 21. 22. 23. 26. 3. unio ipsius *essentiæ*, quâ cum Christo modo planè imperscrutabili, verissimo tamen, secundum carnis substantiam unimur. Probat hanc *Cyrill. d. l. ex* Ioh. 15. *v.* 5. *& ex* 1. *Cor.* 10. *v.* 17. (quæ quidem probatio de dignè participantibus accipienda) Plura in hanc sententiam *in* Apolog. *p.* 158. *art.* 10. *Aug. Confess.* His addimus 4. *unionem Sacramentalem*, quæ in cænâ intervenit inter elementum & rem cœlestem, uti ex definitione constat. *Priores* illi duo unionum modi extra Eucharistiæ usum consistere possunt; suntq; in Sacramento *digne*

utentibus, *effectus & fructus* unionis Sacramentalis: qui etiam in V.T. *Patriarchis* erant communes. *Tertius* obtingit in N. T. percipientibus Eucharistiam: ac intervenit inter *Christum & corpora nostra*: *Quartus* Sacramentalis intervenit inter *rem terrenam* & rem *cælestem*: ordine & naturâ prior illo præcedente tertiô.

38. *Finalis* caussa Sacramenti Cœnæ est *vel principalis vel* minùs principalis. *Principalis est vel* ῷ, vel οὗ, h. e. cui, *vel cujus* gratiâ.

39. *Finis* Cui s. *intermedius*, proximus tamen & proprius Eucharistiæ est, ut verâ & essentiali, eâq; ineffabili conjunctione, corpore & sanguine Christi interveniente, Christo uniamur; uti paulò antè dictum, circa tertium unionis modum.

40. Finis *Cujus gratiâ* s. *Vltimus ac primarius* est, ut verâ fide, beneficia Christi sanguine parta, nobis applicemus. Vocatur aliàs *Spiritualis* carnis & sanguinis Christi *manducatio & bibitio*, Ioh. 6. v. 35. 51. 53. 54. 55. 56. Item, *res sacramenti*; consistens in spirituali refectione & vitæ æternæ adeptione.

Notentur *Theoremata*: I. *Finis primarius sacræ Cœnæ fundatur in verbis mandati*: *Hoc facite in mei commemorationem*, Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. Quâ de re videatur suprà, circa dilucidat. Verborum Mandati. Pertinet huc *annunciatio Domini mortis*, 1. Cor. 11. v. 25. Et particulæ huc illæ spectant in verbis promissionis;

quod

quod *pro vobis traditur : quod pro vobis effunditur in remißionem peccatorum*: quarum egregiam explicat. vid. Tom. 3. *Giss. disp.* 6. *th.* 188. *seqq.*

2. *Finis Cujus gratiâ Sacræ Cænæ datur etiam extra usum ejusdem, estq; fidelibus omnibus in utroq; Testamento communis.*

3. *Finis hic in sacrâ cænâ præsupponit fruitionem ipsius corporis & sanguinis Christi*: ratio, 1. Est namq; Christi sanguis fons, ex quo remissio peccatorum, justitia, & vita æterna ad nos redundat: 2. quia *applicatio* remissionis peccatorum, ejusq; obsignatio in sacra cæna exprimitur verbis, *pro vobis*; quæ ad ipsum verum corpus pro nobis traditum, & sanguinem Christi pro nobis effusum referuntur: utique *applicatio* remissionis peccatorum, ejusq; *obsignatio* in ipso corpore à nobis cum pane, & sanguine Christi cum vino, participatis consistet. Quare finis Sacramenti iste non ad *sola elementa, sed ad totum Sacramentum*, ex re terrena & cælesti constans, referri debet.

4. *Finis iste ex intentione Dei ad omnes Eucharistiam participantes pertinet, in executione verò solis dignè accedentibus, h. e. fide verâ præditis, obtingit.* *Prius* probatur ex Christi *mandato* generali, Hoc *facite* in mei commemorationem: *mortem* Domini *annunciate* : 2. ex *promißione generali*; corpus n. Christi traditum est, & sanguis effusus *pro omnibus* : 3. ex *comminatione generali*, 1. Cor. 11. v. 27. 29. *Posterius* affirmat Apostolus, 1. Cor. 10. v. 21. c. 11. v. 28.

41. Plura de fine hujus ſacramenti petantur ex *diſput.* 12. *ſub fin.* Membri 3. præcipuè videantur in diſput. *allegata Giſſens. th.* 196. *ſeqq.* *in* Exeg. Dn. *Mentz. art.* 10. *Auguſt. Confeſſ.* p. 466.

De Quarto.

Vbi Axiomata SS. Cœnæ Generalia.

I. *Euchariſtia eſt Antitypus Agni Paſchalis*: in cujus etiam locum ſucceſſit; Luc. 22. v. 17. ſicut *Baptiſmus* in locum Circumciſionis.

II. *Sacramentum* Euchariſtiæ *reliquos ritus omnes antecellit*; 1. *dignitatis* præſtantiâ, 2. V*ſus* commodiate; 3. *efficaciæ* ſalubritate: 1. Ob diſpenſationem bonorum cæleſtium divinam 2. ob recordationem mortis & paſſionis Dominicæ 3. ob arctiſſimam noſtri cum Chriſto (& SS. Trinitate) unionem: Sic namq; ſe nobiſcum corpore & ſanguine ſuo conjungit; ut ubi corpus noſtrum & anima eſt; ibi ſit etiam theſaurus iſte, uti verba habent *Libelli noſtri*. Hinc etiam dici meruit μυςήριον τὸ πάντων ἱεραρχικώτατον, omnium ſanctiſſimum τελετὴ τελετῶν, perfectio perfectionum, à *Dionyſio Areopag.* μυςήριον φρικτὸν, ἡ φρικωδέςατον, tremendiſſimum, *à Chryſoſtomo, Homil.* 23. *in* 1. *Cor.* 10.

III. *Sacra-*

III. *Sacramentum Eucharistiæ est unum Specie & Numero.* Ubi tamen Sacramentum *dupliciter* considerari potest; 1. *materialiter*: & sic est multum ob diversas species, easq; toto genere distinctas 2. *formaliter*, seu perfectivè: & sic est *unum*; 1. quia ex rebus unitis, iisq; diversis perficitur una refectio spiritualis: sicut ex cibo & potu in vulgari cænâ perficitur una refectio corporalis, licet ad eam diversæ ac distinctæ requirantur 2. quia inter res illas diversissimas intervenit *unio* sacramentalis, easdem ad unum terminum redigens: unde etiam unum constituitur sacramentum. Sic nec ob *duplicem unionis* actum, sacramenti unitas solvitur: æquè ac ob multiplicationem signorum, s. elementorum nulla pluralitas sacramenti introducitur. *Deinde*, aliud est statuere *unum* numerô Sacramentum: aliud verò, *unam esse Sacramenti substantiam.* *Illud* orthodoxum; *hoc falsum & erroneum*: pugnans, 1. cum *naturâ unionis* sacramentalis, quæ rerum naturas non abolet, sed conservat 2. cum *indole Sacramenti* propriâ, quæ requirit ut Sacramentum sit, non *simplex*; sed *compositum* quiddam ex rebus diversis & distinctis, non a. confusis constans 3. neq; etiam, quod *unum Numero*, id simul *simplex*; datur namq; aliquod Numero Unum *compositum*, 1. *Top. c.* 6. & 4. *Metaph. c.* 6. & 9. Hinc etiam est, quod subjectum & prædicatum pro eodem supponant; sive quod idem

 est,

est, sint ejusdem generis aut speciei, aut individui, ast non statim *simplicis*: potest namque esse *compositum* & unitum *Individuum*, quale est Sacramentum Eucharistiæ.

IV. *Eucharistia est Sacramentum Confirmationis.* Non enim confert fidem, ut *Baptismi* sacramentum (unde etiam *Sacramentum Fidei* appellatur) sed collatam in actu regenerationis per Verbum vel Baptismum, *corroborat, confirmat & obsignat*: uti disput. 9. *thes.* 17. *fusius* explicatum. Porrò confirmatio fidei complectitur, 1. de remissione peccatorum, in vero ac salutari usu Eucharistiæ, *promissionis obsignationem*: 2. fœderis inter Deum & hominem initi *instaurationem*; ac 3. in eodem *conservationem*: 4. donorum spiritualium *auctionem* 5. insitionis in Christum *renovationem*: 6. de transitu ex corruptibilitate ad incorruptibilitatis statum, incorruptibili cibo percepto, *certificationem*.

V. *Sacramentum Cœnæ est animarum viaticum* (a) *saluberrimum*; (b) *ultimum & summè necessarium ad vitam æternam.*

(a) August. *l.* 2. *de visitat. infirm.* Tom. 9. Gaudent *tract.* 2. *in* Exod. (b) Synod. *Nicena Can.* 13. Basil. *in* Horolog. *Ecclesiast.* Huc pertinent Elogia *similia*; Ignat. *Epist.* 11. *ad Ephes.* tribuit Sacræ Cænæ, quod sit καθαρτήριον ἀλεξίκακον, καὶ φάρμακον ἀθανασίας, h. e. *medium mundificans & mala profugans*, nec non *medicamentum*

mentum immortalitatis. Damasc. verò quod sit φυλακτήριον τῆς ψυχῆς, *l.* 4. *c.* 14. h. e. *animæ murimentum*: ut & *August. l. cit* quod sit redemptionis nostræ *pretium* : redemptoris *monumentum*; redempti *monimentum.*

V I. *Eucharistia est cibatio non tantùm animæ: sed etiam corporis*: non tamen ad hanc *temporalem*; sed ad æternam *& immortalem* vitam. Hinc est quod *Irenæus* corporum nostrorum resurrectionem probet ex participatione Eucharistiæ, s. corporis & sanguinis Domini: faciens hâc in parte cum *Tertulliano*, *Hilario*: contra *Valentianum & Marcionem* decertantib. In hanc quoq; sententiam *Cyrill. l.* 4. *in Ioh.c.* 14. sic scribit: *Oportuit certè, ut non solùm anima per Sp. S. in beatam vitam ascenderet, verùm etiam, ut rude atq; terrestre hoc corpus cognato sibi gustu,* tactu *& cibo ad immortalitatem reduceretur.* vid. etiam *libell. nostr.* §. *Cumq; præstantius*; non procul ab initiô.

VII. *Sacramentum Cœnæ est Novum Testamentum* καῖ' ἐξοχὴν: 1. quia Christus in eo thesauros spiritualium & cœlestium suorum bonorum universos Ecclesiæ legavit & disposuit ut memoriam sui perpetuò ita retineremus, ne ullà eam oblivione deleri patiamur: *ex libello* nostro 2. quia est *Instrumentum authenticum*, quô confertur nobis jus ad æternam hæreditatem. 3. quia est *Sanguine Christi sancitum* 4. quia hodieq; quoties celebratur præsentissimum con-

tinet

tinet Christi sanguinem; à quo Testamentum vim & eminentiam suam sortitur.

IIX. *Sacramentum Cœnæ est τεκμήριον ac speculum pellucidißimum, in quo ineffabilis Caritas, & flammæ illæ ardentes in pectore Dn. N. J. Christi erga miseram suam Ecclesiam cernuntur*: ex libello nostro statim in limine. Ubi etiam ratio additur; quia Christus magis suæ Ecclesiæ, quàm sui ipsius curam habuit in postremo Ministerii sui actu. Plura, eaq; Spiritu Christi *plena in libello* nostro legantur.

De Quinto.

§. 1. Non juvat hoc loco omnes circumstantias fusiùs persequi ob chartæ angustiam; solummodò aliquid subjungemus de Circumstantia *Personarum, Temporis & Loci.*

2. Quoad Personas *Administrantes*, suo loco dictum est. Heîc quæritur, num seipsum quis communicare possit, s. sibi ipsi Eucharistiam porrigere? R. *Beatus Lutherus art. 2. part. 2. Artic. Smalcald.* Seipsum a. communicare, humana persuasio est, incerta & non necessaria, imò prohibita. *Alii* tamen *aliter* respondent.

3. De *Personis* Percipientibus Eucharistiam tenendum; quod debeant esse *in Ecclesia, baptisatæ* ac probè in fide informatæ, quæ seipsas probare possint, 1. Cor. 11. 27. adeoq; adulti

Chri-

Christiani; ni tamen fuerint, 1. *excommunicati*, (exceptô mortis periculô) 2. *flagitiosi* manifestò, 3. *moriones, stulti*, 4. *furiosi*, 5. *phrenetici*, 6. *obsessi*, 7. *arreptitii*, 8. *energumeni*, 9. *infames*, (exceptis carnificibus & lictoribus) 10. *Magi*, 11. *lenones*, 12. *scorta publica & meretrices* 13. *usurarij*, 14. *athletæ* de vitâ & sanguine certantes, 15. *abstemii*, 16. *non confessi* ex usu Ecclesiæ. Ab usu etiam Cœnæ excluduntur 17. *Infantes*, quia seipsos probare nondum possunt.

4. Quo *tempore, ac quoties* ad Eucharistiam accedendum, definire certò necessum non est. In *primitivâ* Ecclesiâ communio *quotidiè* instituti solebat; aut ad minimum, singulis diebus *Dominicis*, singuli accedere Eucharistiam tenebantur, *apud Aug. lib. de Ecclesiast. dogm. c.* 53. *Thom. p.* 3. *q.* 8. *a.* 10. Progressu temporis *ter* in anno indictus erat Eucharistiæ usus, *Paschate*, *Pentecoste*, & *Natalit. Dom.* sic promulgante *Fabiano Papâ. Soterus a. Pontifex* adjecit *Diem Cœnæ Dominicæ*: *de consecr. dist.* 2. Contrà, *Innocent* III. *semel* duntaxat annuatim tempore *Paschatos communicandum esse decrevit*: cujus quidem Decretum approbavit *Concil. Tridentinum, de Euchar. usu, c.* 8. *Can.* 10.

5. Nos ad minimum *quaternis* vicibus accedendam esse S. Synaxin annuatim statuimus (*tempus* verò certum non præscribimus) 1. ad majorem curam salutis obtinendæ excitandâ: 2. ad donorum Sp. Sancti faciendum augmentum

tum: 3. ob præparationem ad mortis certæ inopinatam horam: 4. ad superandos Diaboli insultus, carnis & mundi suggestiones & tentationes.

6. De *loco*, sententiam præferimus, ut sit 1. *publicus*, 2. *frequentiaq;* membrorum Ecclesiæ stipatus, 1. ad imitationem praxeos primitivæ Ecclesiæ: 1. Cor. 10. & 11. 2. quia præsentia Christi gratiosa (cujus species est præsentia rei cœlestis in sacramento) est ad congregationē determinata, *Matth.* 18. 20. *c.* 28. *v. ult.* Excipimus *Necessitatis* casum: inprimis *infirmitatis*, vel *captivitatis*: ubi extra cætum publicum, in præsentiâ paucorum, Eucharistiam administrare, licitum esse, cæteris paribus, non refragamur.

7. De *reliquis* Circumstantiis consulantur Theologi, ex professo materiem hanc fusiori stilo persequentes.

IV. DE VETUSTIS ERRORIBUS circa Sacramentum Eucharistiæ.

§. 1. Servatâ temporis serie ab ipsis Apostolis ad nostrum usq; seculum breviter errores vetustos recensebimus.

2. *Statim* post Christi Ascensionem subortum erat Schisma in *Corinthiacâ Ecclesiâ* de Cœna *Domini*, 1. Cor. 10. & c. 11. v. 18. 19. 29. 30.

quod

quod ipsemet Apostolus confutavit vid. *Cyrill.* *contradict. l.* 4. *c.* 5. *adversus Nestor.*

3. Eodem seculo *Simon Magus*, *Menander* & *Basilides* Sacramentum Eucharistiæ oppugnarunt, 1. rem *elementarem* in rem spurcam commutando; de qua *Epiph. hæres.* 21. 2. rem cœlestem *denegando*, & ex Ecclesiâ tollendo. His sese opposuit B. Ignat. *Epist. ad Smyrnens.* citante *Theodoreto Dialog.* 3. quæ quidem Verba hodie in nostris non reperiuntur exemplaribus: offenduntur tamen in vetustissimo Exemplari quôdam Græco, in *Biblioth. Medicæâ Florentiæ.* Confutatam quoq; hanc hæresin à *Petro* fuisse, testantur *Epiph. hæres.* 2. August. *ad Quod vult Deum Tom.* 6. *hæres.* 1. Philastr. *hæres.* 1. Theodoret. *l.* 1. *hæretic. fabul.*

4. Circa idem tempus *Ebionitæ*, *Marcionitæ*, *Encratitæ*, *&c.* solam aquam *loco vini* substituebant, apud Epiph. *hæres.* 42. 46. 47. August. *d. l. hæres.* 64. Cypria. *l.* 2. *Epist.* 3.

5. Post 100. annos *Marcosii* aquam illam incantationibus efficiebant rubram: eidemq; vini albi modicum affundebant, apud Epiph. *tom.* 3. *l.* 1. *hæres.* 34. Iren. *l.* 1. *hæres. c.* 9. nec Christi, sed *Marci sanguinem* in poculo fuisse credebant: *mulieribus* ritum consecrandi permittebant; *alterum* insuper *panis* elementum ex Eucharistiâ rejiciebant. *Gnostici* v. Elementarem *rem* pervertebant in *spurcam*; loco rei cœlestis, corporis Christi, carnem *Infantis* in-

morta-

mortario contusam adhibebant; apud Clement. Alexandr. *l.* 3. *Stromat.* Epiph. *ibid. hæres.* 26. Aug. *hæres.* 6. Theodoret. *l.* 3. Porrò *Ophitæ*, non verbis Christi; sed *serpentis afflatu* & sibilo Eucharistiam consecrabant; apud Epiph. *ibid. hær.* 37. August. *hæres.* 17. Theod. *d. l. Archontici nullam administrabant Eucharistiam* ideo quod à malo Deo esset profecta; Epiph. *hæres.* 40. Theodor. *l. c. Montanistæ vel Cataphryges* Eucharistiæ immiscebant *sanguinem infantis anniculi*; Epiph. *hæres.* 48. Aug. *hær.* 26. *Pepuziani* prȩter hunc errorem etiam alium committebant, partes consecrationis *mulieribus* deferendo. Epiph. *hær.* 49. August. *hær.* 27. *Artotyritæ* in Eucharistia adhibebant *panem & caseum*, *Epiph. d. l.* August. *hær.* 28. *Philastr.* Circa illud ipsum tempus *Clemens Alexand.* verba Christi: Hoc est sanguis meus: exponebat de sanguine *uvæ*, ex Gen. 49. *Origenes* quoque verba Institutionis sensu modificato & figurato interpretabatur super *Matth.* c. 26. Hæc in secundo Centenario.

6. Post 200. annos, adeoq; in *tertio* centenario errabant, 1. *Samosatenus*, corpus & sanguinem Christi ceu res *corruptibiles* statuens, cui sese opposuit *Dionys. Alexandr. Episc.* *in Epist. suâ*, cujus mentionem facit *Hieronym. de scriptor. Ecclesiast.* 2. *Manichæi*, alteram speciem, scilicet *calicem* subtrahendo: ut & ex priori, *corpus Domini*, idipsum in phantasticum

trans-

transformando. His dicam scripsit Leo I. *sermone* 4. de *Quadrages. c.* 5. *August. hær.* 46. & *l.* 20. *contra Faustum Manich. c.* 13. 3. *Catharistæ*, panis Eucharistici substantiam re turpi corrumpendo; *August. d. l.*

7. Post 300. A in *quarto* centenario delirabant, 1. *Donatistæ*, à qualitate Ministri substantiam Sacramenti suspendentes 2. *Ægyptij*, lac & aquam musto coloratam substituentes 3. *Messaliani*, omnia sacramenta in totum repudiantes.

8. Ab *anno* 400. *Nestoriani* Eucharistiam nullius esse Efficaciæ contendentes. Damnati verò *Synod.* 1. *Ephes. Can.* 11.

9. Post 500. ad 600. *Acephali, Barsaniani & Semidalitæ*, loco Eucharistiæ *farinam tritici* summo digito degustabant. *Damasc. lib. de hæret.*

10. In *septimo* centenario errabant, 1. *Armeni*, 1. agnum Paschalem immolando: 2. panem Eucharisticum ex farina & *oleo* conficiendo: 3. Corpus Christi in *Deitatem conversum præsens esse in Cœnâ* nugando; apud Niceph. *l.* 18. *c.* 53. Euthym. *Panopl. part.* 2. *tit.* 20. 2. *Pauliciani*; 1. loco corporis Christi *verba* duntaxat: *Accipite, & manducate* substituebant: 2. *manducationem* per τὸ *credere*, exponebant. Euthym. *d. l. tit.* 21. 3. quidam *Hispani* in calice *lac*, non vinum, consecrare soliti; referente *Concil.* 3. *Bracarens. Can.* 1.

11. In *octavo* centenario *Iconoclastæ*, Eucharistiam per corporis & sanguinis Christi

imaginem interpretantes. In Concil. Nicen. 2. Act. 6.

12. In Nono, ab A. 800. ad 900. errabant, 1. Joh. Scotus Ordin. S. Bened. Monachus tempore Nicolai Papæ & Caroli Calvi; præsentiam rei cælestis in Cœna negando; quamobrem, gryphis discipulorum primò oculis privatus, tandem in particulas vivus discerptus est in Malmesburgensi Monasterio: referente Gwielhelm. Malmesburg. lib. 1. c. 16. de gestis Anglor. damnatus autem in Synodo Vercellensi, teste Lanfranco 2. Bertramus, cum Scoto illo errans, ast à Paschasio Radeberto Abbate Corbejensi refutatus.

13. In Decimo centenario Ecclesia nullis hæresibus, quà Eucharistiam, erat infestata, (publicè quidem: sed non privatim.)

14. In Undecimo Berengarius præmissum illum tuncq; sopitum errorem ex favillis resuscitavit, docens; Christi Corpus esse in pane, ut in signo: refutatus autem ab Adelmanno Episcopo Brixiensi, Lanfranco Cantuariensi, Gvvimundo Aversan. & Algero Monacho Cluniacensi; damnatus verò in Synodo Vercellens. sub Leone IX. Turonensi sub Victore II. Romanâ sub Nicolao II. 2. eundem in Græciâ propagabat Basilius quidam Medicus contendendo: solam orationem Dominicam esse Sacramentum Eucharistiæ: apud Euthym. Panopl. part. 2. tit. 23. damnatus ad rogum communi sententia combustus est sub Alexio Imperatore, teste Euthym

d. l.

d. l. 3. *Petrus Bruzius*, & quidam *Henricus*, negantes corpus Christi in cœnâ: refutati a. à S. *Bernhardo Epist.* 204. *ad Comitem* S. *Ægidii* 4. *Petrus* VValdo, circa A. 1160. (ut & *VValdenses*, seu *pauperes de Lugduno*) circa hunc articulum errabant, contendentes; 1. consecrationem fieri per *septies* iteratam solam orationem Dominicam: 2. Sacramentum non posse confici *nisi semel* in anno, festo Cœnæ Dominicæ: 3. Sacramentum illo die consecratum, *servandum* esse per totum annum.

15. In *Duodecimo* centenario, A. 1200. *Albigenses*, *Almarici* cujusdam sectatores, Christum non secus esse in Eucharistia, statuebant, quàm in *omnibus aliis sit rebus*, teste *Cœsare*, *lib.* 5. *Dialog.* Petro Cisterciens. *in hist. Albigens.* 2. circa idem tempus decreta est *Transsubstantiatio*, A. 1240. in *Concilio Lateranensi* ab *Innocentio* III. Eodem exorta est Scholasticarum contentionum de hoc commento lerna: Eucharistia insuper *adorari* & *circumgestari* cœpit, sancito simul *Festo Corporis* Christi ab *Vrbano* IV. *circa annum* 1260. ex revelatione cujusdam Mulierculæ.

16. In *Decimo tertio Clemens* V. in concilio *Vienensi* statutum *Vrbani* ab omnibus sanctè servari jussit, A. 1311. A. 1360. *Iohan.* *VVicleph. Anglus* negabat; Christum in Eucharistia realiter pręsentem adesse corporali præsentiâ, sed *figuraliter*, sicut Johannes fuit Elias, apud *Thom. VValdens. Tom.* 2. *de Sacram. c.* 33.

17. In *Decimo quarto* Johannes *Hus* confitebatur quidem præsentiam sanguinis & corporis Christi in Cœna, sensu planè orthodoxo; ast tamen in eo exorbitabat, quod *infantibus* communicationem Eucharistiæ necessariam esse judicarit. In eodē seculo *Calicis mutilatio* introducta est à *Concilio Constantiensi*, A. 1415. circa idem tempus auctæ perhibentur esse *Indulgentiæ* Festi Corporis Christi, per *Martinum* V. & sequentem *Eugenium* (mutilatâ altera parte Eucharistiæ) ad 44000. summam dierum festorum. *Mutilatio & subtractio* Calicis porrò in Concilio *Basileensi* confirmata annis 20. post *Constantiense*.

V. De Erroribus, Ante Seculum renovatis, & usq; ad præsens durantibus in Ecclesiâ.

§. 1. Propter chartæ angustiam non juvat omnes hæreses recentiores operosè persequi: præsertim cùm alii hoc labore nos sufficienter sublevarint. Nam

I. *Pontificiorum* errores methodo certâ, memoriamq; juvante in synopsin collegit *Dn. Mentz. in Exeg. A. C. art. 10. memb. 5.* addimus solùm *paraleipomena*: 1. circa *Materiam*; loco rei cælestis sub quolibet elemento *totum Christum* percipi *Sacramentaliter* propter concomitantiam, omnes statuunt *Pontificii*. Vid. *Becan.*

Manual.

Manual. lib. 1. c. 9. *concl.* 6. *p.* 260. Ast contra verba Institutionis; quæ cum pane, *non nisi corpus* Christi: cum *vino verò* benedicto non nisi sanguinē Christi percipi disertè adstruunt. De *Concomitantia* v. nullum in toto sacro codice vestigium; sed est Scholasticorum otiosorum commentum 2. circa *Efficaciam*; Eucharistiam non *abolere peccata mortalia*; sed tantùm *levia* ita cum Scholast. *Concil. Trident. can.* 5. ubi negat præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum: *contra* 1. *Ioh.* 1. *v.* 7. *Hebr.* 9. *Adhæc* Sacramentum non obsignare remissionem peccatorum, contra *Rom.* 4. *v.* 11. *Deniq;* ex una specie non minorem fructum percipi, quam ex utraq;: *Becan. d. l. concl.* 7. *p.*263. 3. circa *Usum*; Fidem non esse necessariam accessuro ad Eucharistiam, pronunciante *Cajetano* in præsentiâ *Lutheri*, A. 1518. 4. de non offerendâ Eucharistiâ ultimo supplicio afficiendis: qui tamen error potius antiquus fuit, ideoq; damnatus in Concil. *Moguntino c.* 27. A. 855. sub *Ludovico Pio*, & *Rabano Archiepiscopo*.

II. *Calvinianorum* quoq; errores Dn. Mentz. copiosè recensuit, & nervosè confutavit d. l. memb. 6. *Confer Disput.* 7. *Tom.* 3. *Giss.* 8. & 9. Summa errorum huc redit: 1. corpus & sanguinem Christi non esse *realiter* & *substantialiter* præsentia in Cœna: ideoque non percipi *Oraliter* & *propriè* 2. Verba cœnæ non esse *propriè*, sed *Tropicè* intelligenda: adeoq; sicut

ti præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti; ita perceptionem eſſe *impropriam* ſ. *modificatam* ita ut edere & bibere nil aliud ſit, quàm *credere*. Vide inſuper ſupra memb. 2. de ſummâ præſentis articuli. Addimus *Paraleipomena*: 1. circa *materiam* terrenam; elementa panis & vini cum aliis rebus permutari poſſe, ſtatuit Beza *Epiſt.* 2. Sic igitur panis & vinum ceſſarent eſſe partes Cænæ eſſentiales 2. circa *Qualitatem* panis: neceſſariò eſſe grandiorem adhibendum, qui poſſit in actu cænæ *frangi*; Oblata verò eſſe minimè panem verum, ſed ſpumam. Contra; huic etiam pani vera definitio ſupra aſſignata circa cauſſam materialem competit 3. de *Panifragio repræſentativo*, vid. *Ex. Menz. art.* 15. *memb.* 5. 4. Euchariſtiam non eſſe *ægrotis adminiſtrandam* contra veterem Eccleſiæ praxin.

2. Expendere heîc quoque paucis juvat, num ad *Hypotypoſin* ſanorum Verborum quadrent, quæ ſub ſpecie Orthodoxæ fidei de cœna Domini in publicam emiſit lucem *Sacramentarius* Bergius, editis aliquot ſcriptis, partim Francofurti: partim Berolini in *Marchiâ*, ut ſunt, *Diſputatio de re Sacramentaria*, A. 1617. Hypotypoſis der heilſamen Lehre/ A. 1624. ut & vngründlicher Beweis de ſtereomate verborum Cænæ, eôdem A. Summa errorum ad *quinq;* in univerſum capita revocari commodè poterit; quos, ratione inſtituti habitâ, paucisſimis delibabimus & examinabimus.

3. Primus

3. *Primus* error, dum *Bergius* gloriatur se cum suis complicibus retinere strictè τὸ ῥητὸν verborum Institutionis: nos v. ab eodem deflectere; *Disp.th.* 107. *Concio: prior. de Cæn. Dom. post Exord. statim.* Sed *falsò*: nam quod *Bergius* cum reliquis *Calvinianis* non retineat τὸ ῥητὸν patet: quia discedit à *proprio sensu verborum Cænæ,* 1. pro *corporis & sanguinis substantia* substituendo *efficaciam* eorundem: vid. *Hypotypos: art.* 14. §. 1. & 2. 2. pro manducatione *propriâ* reali vel *orali* corporis, & bibitione sanguinis Christi, substituendo *tropicam*, quæ fiat per fidem, ut manducare & bibere idem sit quod credere: ibid. *num.* 1. & 5. Deinde quod non possit, hinc planum est: 1. quia negat præsentiam *realem & substantialem* corporis & sanguinis Christi, substituendo duntaxat *repræsentativam & effectivam*, *d. loco*, & fusiùs *in Disp. à thes.* 135. 136. 144. pro cujus sententiæ confirmatione producit aliquot argumenta, *th.* 148. *ut &* 151. *seq.* 2. quia *Unionem* statuit non *realem* inter corpus & sanguinem Christi; sed *scheticam*, vel *intentionalem*, *in significando* consistentem; vel in *relatione* in mente divinâ & nostrâ: *thes.* 136. cum consensu Orthodoxo, *c.* 7. *f.* 319. Quod è contrario nostras Ecclesias falsò oneret, per se evidens est, uti oppositio sententiarum evincit. Nos namq; sensu Grammatico & literali singula verba Institutionis citra modificationem & tropologiam capere, supra probavimus. Neq; διάνοια ex verborum sensu

immediatè eruta unquam nobis displicuit: hinc adeò factum, ut particulis æquipollentibus, In, *cum*, *&* *sub*, propositiones *exhibitivæ* præsertim sint elatæ; citra tamen *tropum* Sacramentarium. Notetur manifesta contradictio: nam thes. 126. concludit interpretationes περὶ τοῦ ῥητοῦ non realiter ab invicem dissidere; adeoq; nec de *fidei fundamento*. Supra v. prætendit: τὸ ῥητὸν unius propositionis non posse esse *nisi unicum*. Quare sicuti unica veritas ita unius propositionis unicum τὸ ῥητὸν, E. quod præter unicum τοῦ ῥητοῦ in propositione sensum affertur, illud erit falsum. Jam v. nostram interpretationem à falsitate absolvit *Bergius*. Necesse ergo erit, falsam esse διάνοιαν *Calvinisticam*. Pejor antilogia occurrit in *Hypothyp. art. 14. ubi* τὸ ῥητὸν sugillat, ac *Capernaismi* insimulat. (nicht nach der Capernaitischen Leiblichen weise / nach dem bloßen buchstaben / *NB.*) *Deinde* falsum est τὸ ῥητὸν verborum Cænæ non esse *de fundamento*. Contra; 1. verba quibus fidei articulus fundamentalis unicè nititur, sunt de fidei fundamento; uti quivis ultrò colligit. Talia v. sunt verba Cænæ, eorumq; τὸ ῥητὸν. E. sunt de fidei fundamento 2. *Verba Testamenti* divini sunt de fidei fundamento.

4. *Secundus* error est circa præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœnâ, & quidem *geminus*: 1. ratione *rei*, vel *objecti* præsentis, statuens;

statuens; non corpus & sanguinem Christi, quaten. *illud* cum pane; *hic* cum vino uniatur: sed totum Christum; ipsius *meritum & beneficia* Hypo. *art.* 14. §. 2. Er hat ja seinen Leib nicht verheischen / wie er vnsichtbar im Brot verborgen / vnd also nicht die blosse Substantz / sondern beydes Sich selbst vnnd sein leiden/ verdienst vnnd Wolthaten zusamen verheischen.

5. Siccine a. retines τὸ ῥητὸν verborum Cœnæ Bergi? de quâ re anteà gloriatus es? Dixitne Christus: accipite, edite, *Hoc est totus Christus*: aut, *Hoc est meritum meum*, vel *beneficia hoc sunt meâ paßione acquisita*? Vide igitur quàm procul à luce Verborum Institutionis vageris, & Cœnæ tuæ rationis ignem fatuum sequaris! 2. ratione ipsius *præsentiæ*; quam Sacramentarius negat esse substantialem (hanc n. exagitat ceu localem, *Disp. th.* 135. 138. 139. 140.) sed contendit esse *Intentionalem, significativam, relativam* rei signatæ ad signum in mente divinâ & nostrâ, *spiritualem*, eamq; *à fide* dependentem, *Disp. th.* 136. præsentiam nim. *Virtutis & efficaciæ, th.* 154. Impugnat porrò præsentiam *realem* ac *substantialem* argumentis suis, *th.* 148. Quâ assertione *Bergius* evacuat sublime hoc mysterium Sacramenti Cœnæ; idque in rem profanam commutat: nobis nil nisi nuda elementa *realiter & substantialiter* in Cœnâ præsentia relinquens. Unde etiam nulla realis

unio sequitur, nulla *realis* vel *oralis manducatio* rei cælestis; sed nudorum Elementorum. Et quod grandius absurdum, præsentia rei cælestis non dependebit à *promißione* Christi, sed *ab operatione nostri intellectus*: quâ cessante, & illa cessabit: nisi n. quis sibi imaginatus fuerit in Cænæ usu Christum cum suo merito esse præsentem, adeoq; non instituerit σχέσιν & *relationem* rei signatæ ad signum, is præter nuda signa nil de re cælesti participabit: nil namque nisi nuda elementa sibi præsentia habebit. *Insuper* confunditur hoc pacto sacramentum Eucharistiæ N. T. cum Veteris Agno Paschali & omnibus sacrificiis, ob absentiam realem & substantialem rei cælestis. Et adhuc credemus Bergio vel *millies* protestanti in Hypotyposi *d. l. §. 3.* in der Ablehnunge der Calumnien, & sic prætendenti: Woraus nun auch ein jeder der Gewissen hat/ richten mag ob es wahr sey/ **das wir nur blosse zeichen/ nur leidige Hülsen/ nur eitel schatten im Abendmal lassen/ vnnd den rechten Kern/ das Himmlische Gutt/ den Leib vnd Blut Christi davon ausschliessen?** Verùm heus Bergi! si non excludis rem cælestem, h. e. corpus & sanguinem Christi ex Cœnâ? cur non admittis, sed exagitas eorum *præsentiam substantialem*;

tialem; & substituis phantasticam & imaginariam?

6. *Tertius* error circa manducationem sacramentalem: ubi uti *objectum*, f. panem & corpus Christi; ita quoq; *modum* manducationis *geminum* statuit: nimirum, *unum oralem*, alterum *spiritualem*, sive *os corporis*, & *os fidei*, *Disp. th.* 156. 161. 162. 163. 168. illô manducari panem; hôc corpus Christi, *th.* 170. ubi concludit: tali modo corpus Christi ore percipi, sicuti alias *oculis & auribus*, h. e. non naturali, sed *metaphorico ore, oculo, aure*, contra Axioma 2. circa Form. sacram. quod ita habet: Manducatio & bibitio sacramentalis est *una*, non gemina; ob rationes ibidem allatas; & contra 1. quod sic habet: manducatio & bibitio sacramentalis *est vera, propria, realis*, non autem *metaphorica*, non *spiritualis*; ob rationes assignatas: contra 4. de *proportione inter os nostrum corporis & rem cœlestem Sacramenti*: contra 6. quod manducatio & bibitio Sacramentalis sit N.T. Ecclesiæ *propria*; ex sententia v. Bergii erit communis Ecclesię V.T. quia spiritualis. Contra 7. quod *sacramentalis manducatio non sit confundenda cum bibitione*: ast utramq; confundit Bergius statuendo spiritualem; *credendo n. & manducatur & bibitur* simul Contra 8. & 9. quod sacramentalis manducatio & bibitio sit *omnib. communicantibus ex æquo communis*: id quod ex hypothesi Bergii verum erit de *Elementis*; non

verò

verò de re *cœlesti*, ratione indignorum fide destitutorum.

7. *Quartus* circa *oralem* manducationem, 1. quod circa *sola elementa* occupetur, *th.* 156. *&* 201. R. *contra*: Sacramentalis manducatio pro Objecto habet *totum Sacramentum*, re terrena & cælesti constans. Talis v. est *Oralis*, vi verborum Institutionis. E. 2. quod oralis manducatio sit multis modis *exitiosa & pernitiosa*: 1. *extenuans Christi honorem*; 2. *evertens articulos fidei*: 3. ceu *acropolis Missæ Pontificiæ*, *&* 4. *impediens usum salutarem Cœnæ*. In conc. *posteriori de Cœn. & Disp. alleg. th.* 255. *seqq*. R. nihil verò horum ex Orali manducatione extorqueri potest. contrarium potiùs ex ea defendi optimè poterit: 1. Christo n. ceu fundatori hujus Testamenti honor sartus tectus reservatur; qui aliàs violatione hujus Testamenti violatur 2. alii articuli fidei non evertuntur; sed potius stabiliuntur: non modò ascensio in cælum; sed etiam sessio ad dexteram Dei. & reditio ad Judicium 3. Sacrificium v. Missaticum tantum abest ut ei innitatur: quin potius convellatur & destruatur: nullus namq; heîc Deo corpus & sanguinem Christi offert vel sacrificat; sed minister porrigit, & exhibet non Deo sed communicantibus, hi etiam sibi oblatum manducant & bibunt, 4. multo minus usus salutaris impeditur, qui in Eucharistià manducationem *oralem* corporis Christi, & bibitionem sanguinis Christi prærequirit & præsup-

ponit

ponit 3. quod *Indigni non* manducent corpus, nec bibant sanguinem Christi in Cœnâ *oraliter*: *Disp. th.* 227. 228. 229. Contra Axioma 9. de *Forma Cœn.* imò contra assertionem *Marc.* 14. *v.* 15. *&* *Apostoli*, 1. *Cor.* 11. *v.* 26. 27.

8. *Quintus* de *Spirituali* manducatione; quasi hæc in verbis Cœnæ *primariò* sit fundata: in quam sententiam *Bergius* 30. cudit argumenta *in conc: posteriori*; sed tamen ita comparata, quæ caussam Sacramentariam parùm fulciant si ad Normam veritatis examinata fuerint. *Breviter*: πρῶτον erroris ψεῦδος si quis venari voluerit, idipsum in confusione manducationis Sacramentalis & spiritualis, 2. *substantiæ & usus* Sacramenti: 3. præsentiæ *localis & mysticæ*, s. Sacramentalis, 4. manducationis *Capernaiticæ & Sacramentalis* deprehendet. Singula argumenta examinare Chartæ angustia non permittit, labor is ad aliud tempus erit differendus.

9. Colophonis loco palliationem retegimus *Bergii*, universam hancce controversiã ipsum fidei fundamentum nequaquam attingere, universo orbi Christiano persuadentis; adeoq; unam partem ab alia immeritò damnari & proscribi *Crocodyli lacrumis* deplorantis, *Disp. thesi* 231. 249. Contra: 1. à quibus honor Christi læditur, 2. articuli fidei evertuntur, 3. Missa Pontificia suffulcitur, & 4. usus salutaris Cœnæ impeditur: illi judicandi erunt impingere in fidei fundamentum. Illud faciunt

ciunt Lutherani, ex sententiâ Bergii. E. Nec id amplius diffitetur Bergius in concione poster. adeò ut nos pro fratribus agnoscere imposterum eam ob causam renuat: Die können wir warlich / so lang sie auff solchem harten Sin beharren / für unsere Brüder nicht erkennen. O tandem diu expectatam, adeoq; exoptatam confessionem! quâ unicâ Bergius semet & omnes Calvinianos Augustanâ Confess. extorres reddidit, quippe ad quam, ceu fraternitatis fulcrum, vel potius pallium provocare hactenus solebant; quia v. jam Calviniani nos à fraternitatis vinculo excludunt, eô ipsô ab Augustana Confessione sese separant, nec ampliùs pro sociis ejusdem haberi poterunt, debentve. Concilia jam interea: Lutherani non impingunt in fundamentum fidei, adeoq; non debent damnari, sed pro fratribus agnosci: Et: Lutherani non sunt pro fratribus agnoscendi! Posteriorem v. contradictionis partem nostram facientes; multò minus vos Sacramentarios ullo modo spirituali pro fratribus agnoscimus, sed ut Hæreticos, & abscissa Ecclesiæ Christi membra indubitatò proclamamus, cum B. Luthero, *contra articulos Lovanienses*: ut ut non tantùm Bergii prædecessores, *Zvvinglius*, *Oecolampadius*, *Beza*, *Heidelbergenses*, sed & *Crocius* part. 2. *Convers. Prutenic.* & *Bergius ipse Voluntate signi* fraternitatem nostram experierint aliquoties. Quid n. commercii luci cum tenebris; Christo cum Belial?

III. Ana-

III. *Anabaptistarum*; & IV. *Photinianorum* errores ex amussim congruunt cum Erroribus *Calvinianorum*: non est opus ergo nova recitatione & refutatione: Hos itaq; uti damnare salvis suis hypothesibus nequit *Bergius*; ita cum iis potiùs fraternitatem colat: quâ in parte nos experietur nec invidos, nec æmulos.


Nobis sufficit, & est gaudium ac gloriatio nostra coram Deo, adversus omnes sectas: quod hæc doctrina & fides nostra, quam exposuimus, certa, manifesta, & firma testimonia in scriptura habeat, quodq; cum omnibus articulis fidei Catholicæ, pulcherrimè consentiat, non quidem juxta sectariorum opiniones: cum illi non sint nostri judices, sed juxta interpretationem verbi Dei, quod totum orbem terrarum judicabit, Joh. 12. Deo igitur spiritu suo mentes nostras illustrante & gubernante, in ea doctrina permanebimus: sicut ex scriptis Propheticis & Apostolicis in corpore doctrinæ supra constituto, hoc est, in tribus symbolis

veteri-

veteribus, in Augustana Confessione & Apologia, in Schmalcaldicis articulis & scriptis Lutheri comprehensa est. Et econtra cum Paulo dicimus:

Si vel Apostolus, vel angelus è
cœlo aliud prædicaverit,
Anathema sit. A-
men.






Biblioteka Jagiellońska

